


ERNDTEL, CH

1.

C. H. E. D.
DE ITINERE SUO ANGLICANO ET BATAVO

Annis 1706 et 1707 facto,

RELATIO

Ad Amicum

D. G. de K. A. C.

Qua variae ad Anatomiam, Chirurgiam, Botanicam et Materiam Medicam spectantes observationes sistuntur.

Accedit huic novae editioni Praefatio, qua malignae JANI GREGORII BETULII obtrectationes de Relatione hac in Epistola ad Amicum anno superiori 1710. propositae, solide refutantur.



AMSTELODAMI

Apud JANSSONIO-WAESBERGIOS.

M. DCCXI.


WELLCOME
HISTORICAL
MEDICAL
LIBRARY

B. C. D.

LECTORI BENEVOLO

S. P. D.

CHRISTIANUS HENRICUS ERNDL. D.



OTA est curiosis acuti Hispani *Michaelis de Cervante* Satyrica fabula, qua Thrasonum importunae actiones et vanae ostentationes, sub *Don Quixote de la Manche* ficto nomine, ingeniose perstringuntur. Inter alia hujus Satyrae singularia placet omnino historia illa, qua *Don Quixote* insignem suum prodit errorem phantasticum. Accidit enim aliquando illi cum famulo iter facienti, in transitu molendinum alatum offendere, quod hic, ob singularem, quem faciebat in aëre strepitum, et reliquum, quem sibi de hoc concipiebat apparatum, pro armato gigante cataphracta instructo sibique insidiante habens, furore Heroico afflatus,

nunc lancea ſua, nunc ſtricto gladio adoritur, atque in debellando hoc putatitio gloriae ſuae hoſte, lacertos perquam ſtrenue exercet, uſque dum alarum molendini vehementior motus, lancea fracta, equitem miſerum humi proſterneret, et non ſine maxima animi confuſione corporiſque contuſione, errore cognito, à pugna ceſſare ſuaderet. Hoc in memoriam incidebat commentum ſtatim ac inſignis cujuſdam in bello Critico Herois, cui ſub *Jani Gregorii Betulii* nomine latere placuit, *vidi Epiſtolam ad Amicum, qua ea, quæ C. H. E. D. in relatione de Itinere ſuo Anglicano et Batavo Annis M DCCVI et M DCCVII facto de Auguſta Bibliotheca Wolfenbuttelenſi, et Seren: Ducis Antonii Ulrici Seceſſu in Salinarum Valle, recenſet, examinata multiplicis arguuntur falſitatis* etc.

Nam, ut brevibus me expediam, bonus ille Vir idem cum edito ante annum ſcripto meo agere mihi videtur, quod mente captus *Don Quixote* cum molendino alato egit. Hic figura monſtroſa ac ſtrepitu Panico deceptus, molendinum pro Gigante armis debellando habuit; ille non minus prae nimia philautia atque arrogantia mente et oculis quaſi privatus, in-

no-

nocentem illam, quam *de Itinere Anglicano et Batavo* edidi relationem, pro Critico de Bibliothecis atque Antiquitatibus habens ſpecimine, cocco impetu adoritur, et ut inſignis Criticus omnes pro refutando illo, quem forte offendit, *de Bibliotheca Auguſta et Seceſſu Ducali in Saltz-Thalen*, in tranſitu à me viſis, loco, intendit nervos. Res ita ſe habet. Ante annum, brevi ante meum è Saxonia in Poloniam abitum, edidi obſervationes in unum faſciculum collectas, quas in itinere illo, quod per Angliae quaedam et Foederati Belgii loca feci, collegeram, et id quidem in gratiam Amici cujuſdam, mihi ob ſingularem, quam in Academiis cum ipſo quondam habui familiaritatem, ſingulariter chari, *Domini D. G. de K. Archiatri Caeſarei et Nat. Cur. German. Collegae*, utpote cui à longo ante tempore promiſeram, omnia illa ſincere impertire, quae mihi inter peregrinandum tunc notatu digniora viſa fuiſſent. Obſervationes illas eo magis typis excudi paſſus fui, quod in Anatomicis aliiſque ad rem Medicam ſpectantibus, nonnulla ibi occurrere ſcirem, quae rariora et nondum deſcripta exiſtimabam. Quod autem locum de Bibliotheca et hortenſi Palatio

Wolfenbuttelensi attinet, quorum in transcursu mentio à me facta fuit, nil minus, quam adeo contumeliosam refutationem et dicam illum mihi pariturum fore, credidissem, qui de Bibliothecis vel Antiquitatibus ex professo scribere, nunquam conatus fui. Operosiorem igitur dictae refutationi opponere defensionem, non adeo necessarium esse, quivis prudentior et aequuas controversiarum Judex facile videbit. Ast ne in ingratum suam contulisse operam queri necesse habeat Auctor, quam fieri potest breviter manifesta illa falsa et fraudes demonstrabo, quae ipse commisit Criticus vapulans, dum Relata mea in genere falsitatis multiplicis arguere ausus fuit. Attingere autem praecipua saltem licebit, dum propter leviora quaedam errata cum ipso in arenam descendere ridiculum esset legentibus, mihi autem nec libet, nec licet, utpote qui in tali vitae et officii conditione vivo, ut adminiculis ac tempore ad operosam refutationem necessariis privatus fere penitus existam: In ejusmodi enim regione et locis, ubi bello, fame, peste aliisque miseriis circum circa flagrant omnia, silere Musas, facile quivis judicare poterit.

Quod igitur primo dictae Bibliothecae Se-

Secretarium vel Custodem attinet, *Dominum Reinerding*, *falsissimum est*, *me illum pro Bibliothecae Praefecto in scripto meo habuisse*, uti expudorata satis fronte lectoribus suis persuadere satagit *Betulius*. Neque enim ex illo, quo usus fui Bibliothecarii vocabulo, tale quid evinci potest. Siquidem omnis is, cui arcanorum Bibliothecae cujusdam cura committitur, bono modo Bibliothecarii nomen sibi vindicare potest, licet in eminentiori gradu & potestate eidem aeque non sit praefectus. Nullo modo etiam *Illustris Leubnitzii* gloriæ ac meritis quicquam silentio meo, me derogasse demonstrari potest. Est enim Viri hujus Nomen Celebratius, quam ut commendatione mea egeat, et verendum potius mihi fuisset, ne laudare sit detrahere, cum exigua mea scriptio, præstantiam tanti Viri non facile sit assecutura. Quid igitur opus erat ejus, ut Bibliothecae Praefecti meminisse, cum jam aliis praesit in Regis Borussiae atque Electoris Hanoverani aulis muneribus, iisque praecipuis, quae Bibliothecae praefecturam facile obscurare possint. Accedit, quod eo tempore, quo ego Bibliothecam invisi, non fuerit in loco praesens. Quod autem *ejus Adjunctum Ampliss: Dominum*

Laurent. Hertelium concernit, hunc unica modo, ſi recte memini, vice, atque in tranſitu ſaltem in ipſo Bibliothecae limine, videre contigit. Quid igitur tanta reprehenſione dignum peccaverim, Dn. Reynerding Bibliothecarium nominando, non video: ad minimum mei reſpectu tunc Bibliothecarium egit, cum incomparabilem illum Rei literariae Theſaurum ipſe ſolus mihi monſtravit. Errorem ratione nominis commiſſum, dum Leitharding pro *Reinerding* poſui, caſu accidiſſe ſciat. Nam ex pugillaribus meis, quibus tunc obſervata mea mandaveram, nomen, ob intentatam deletionem non ſatis clare poſt aliquod tempus diſtinguere atque agnoſcere potui, fallente interim memoria, quae in peregrinis praeſertim nominibus comminiſcendis, non omnibus adeo ſemper fida eſſe ſolet. Quem de *figura futuri aedificii*, in quo poſtero tempore Bibliotheca erit aſſervanda, objicit errorem, tantus certe haud eſt, quantum Auctor facit. Et ridiculum mihi videtur, quod in *Epiſtola ſua* de hac ſequentibus profert. *Quare dum fundamenti figura jam tum parallelogramma fuit, in aliam formam ipſum aedificium ſuccreſcere facile non potuit*. Perſuaſum quidem omnino

nino habeo, architectum pro extruendo ovalis figurae aedificio, fundamento non facile uti paralelogrammae: aſt, an inde ſequatur quod fundamento parallelogrammae figurae non imponi poſſit aedificium ovalis, hoc eſt quo de valdopere dubito.

Inſigne falſum me porro commiſiſſe putat, dum *per quadraginta amplius annos, Bibliothecam Auguſtam auctam magnopere non fuiſſe, enarravi.* Maxime ſpecioſa relatione augmentum hujus Bibliothecae *à p.* 28. *ad* 36. probare è contrario ſatagit, quae tamen ſi accuratius perpendatur, meam narrationem probat potius quam deſtruit, ipſum autem Auctorem, prae nimia philautia caecutientem, turpiter confundit. Sit ita, lubentiſſimè concedam, acceſſiſſe interea temporis Bibliothecae libros illos omnes tam manuſcriptos, quam typis expreſſos, quorum paginis allegatis fit mentio: numero centum amplius ſint codices manu ſcripti, quos antiquiſſimi Alſatiæ monaſterii Weiſſenburgenſis quondam cives, Pragam poſtmodum delatos, in Seren: Principum Bibliothecam tandem tranſiiſſe, conſtat: accedant, ut ipſe in Relatione mea monui, ex publicis librorum auctionibus apud Batavos, novem abhinc annis ac-

quiſiti multi, non ubivis obvii, eximii libri: adnumerentur his juridici illi, quorum auctor *p.* 33. facit mentionem, quibus Galliae provinciarum conſvetudines communi iis ſermone explicantur: Stolidus tamen eſt, qui inde perſuadere vult aliis, Bibliothecam his acceſſionibus debito modo fuiſſe auctam: Bibliothecam nimirum univerſalem, qualis *Auguſta* eſſe debet, et in quam quadrare omnino oportet, quod *Clariſſ: Gabr. Naudaeus in Diſſ: de inſtruenda Biblioth:* ſcribit: *conquirenda eſſe omnium librorum genera, et nullum librum eſſe tam malum aut reprobum, qui bibliothecam ingredi non debeat, et qui non aliquando ab hoc vel illo deſideretur.* Poſitis his evolvat curioſus paululum vel unici *Corn: van Beughem Bibliographias, Theologicam, Juridicam, Medicam, Philoſophicam, Philologicam, Hiſtoricam, Chronologicam, Geographicam, Mathematicam et Artificioſam cum Apparatibus vel Supplementis*, quibus libri recenſentur, ab anno ſuperioris ſeculi ſexageſimo primo ad haec uſque fere tempora typis expreſſi: conferat poſtea numerum eorum, qui ab obitu *B. Ducis Auguſti* uſque ad initium praeſentis ſeculi decimi octavi editi ſunt, cum apparatu illo, qui ex recenſitis libris in

una

una vel altera auctione Batava comparatis, (qui tamen ad quingentos numero vix ascendent) et *Ancillonii transmissis Juridicis* Gallorum exsurgit, et ne centesimam quidem librorum à quadraginta hinc annis editorum partem, omnes jam recensitos conficere, fateri necesse habebit, assumpta in numerum et supplementum illa etiam accessione, quæ ex *Seren: Ducis Rudolphi Augusti* privata Bibliotheca, vel ex librariorum decimatione, aliorumque donatione, in subsidium venire potest.

Plane etiam impertinentia sunt, quae contra me effutire non erubescit auctor falsarius, dum falso a me scribi commemorat, eam *librorum supellectilem, quam Rudolphus Augustus in privatos collegerat usus, Augustae Bibliothecae non accessisse.* Cum enim *Rudolphi Augusti* Bibliothecam nominavi, totam illam intellexi, et talis nunquam in Bibliothecam Wolfenbuttelensem translata est, sed, si quid ex hac, parva saltem erat totius particula, id quod ipsum fateri adversarium meum *p. 36. ex his suis diserte liquet: vides simul præcipua Bibliothecae Rudolphi Augusti Ducis fata, quae in eo fere consistunt, quod dispersa fuerit, quum in vivis adhuc esset*

Sere-

Sereniſſ: Poſſeſſor: et quod magis diſperſa ſit poſt beatum ejus obitum etc. Quam frivola haec auctoris inconſiderantia, quam inconſultum et temerarium contradicendi ſtudium! Qui prae nimia animi elatione aliorumque contemptu, ipſe ſibi non conſtat, et aperte omni occaſione ſibi ipſi contradicit.

Quam fraudulenter et proterve mecum etiam non agit auctor, dum *p.* 41. *et* 43. *de Conciliis Generalibus Bibliothecae ſtatuiſſe me accuſat, illa ex Bibliothecae Mazarinianae auctione à perſecutoribus Cardinalis quondam inſtituta, comparata fuiſſe*, qua de re tamen nec cogitavi quidem unquam, illorum, quæ *Conringius in Epiſtola ſua ad Boineburgium* meminerat, probe gnarus, ſcilicet, *nunquam concedere voluiſſe B. Ducem Auguſtum ut quicquam ex rapina illa Bibliothecae ſuae accederet*. Et hac ipſa de re, ante editionem ſcripti mei cum amico quodam ſermonem habui, ipſique demonſtravi, licet a me poſitum eſſet, ex Bibliotheca Mazariniana haec eſſe volumina, neutiquam tamen ex auctione illa eadem comparata fuiſſe, ideo ſequi.

Non poſſum ſatis mirari inconſideratam illam et inſulſam objectionem etiam, quam profert contra meam ſententiam, *quod*

per

per Concilia illa generalia magnum incrementum quondam ſumpſerit Bibliotheca. Quaſi vero integrum corpus, quale hoc eſt, Bibliothecae nullum dare queat augmentum, praeſertim, ſi de qualitate potius, quam de quantitate vel numero ſenſus ſit, quo ſenſu de ejuſmodi opere optimo jure ſcribi poſſe, non dubito. De caetero ipſi quidem licet per philautiam ſuam *Ancillonii tranſmiſſos codices* numero et pretio non adeo inſignes pro augmento Bibliothecae probando allegare, mihi, Concilia generalia triginta et ſeptem voluminibus comprehenſa et typis Regiis expreſſa, non aeque. O hominis dementiam! et plus-quam dictatoriam arrogantiam!

Magis inconſiderata atque magis adhuc demens eſt cenſura, quam pro inconſulta temeritate ſua, contra meam *de quadringentis Codicibus Wiquefortianis manuſcriptis* obſervationem, in medium proferre non erubeſcit. Vehementiſſime mihi ſuccenſet, credulitatem atque imprudentiam meam injurioſe accuſans, dum ſcriptis et verbis meis alienam mentem iterum affingens, ita ſcribit, *p.* 49. *Adfirmare quidem videtur auctor, quaſi ipſe indagaſſet omnia, beneque exploraſſet, iſta, quae in manuſcriptis Wiquefortianis continentur, jam maximam*

mam partem à vitarum ſcriptoribus apud Gallos ipſos et Batavos typis eſſe evulgata, quod aeque inconſulte et temere pronunciatum eſt, ac ſi adfirmare ego tibi jam auderem, Arabicos iſtos codices, quos in Feſſana Bibliotheca adſervari memorat Thomas Erpenius, typis jam eſſe exſcriptos etc. et paulo poſt p. 50. pro certo ego habeo, ipſum non explorata à ſe ac perſpecta, ſed audita tantummodo pronunciaſſe: quæ quum plerumque quam maxime fallant, ita et ipſum noſtrum fefelliſſe quoque credulum atque improvidum auctorem, tibi velim perſuadeas. Profecto, nullo modo exputare poſſum, unde tantam contra me conceperit peſſimus ſcriptorum alienorum interpres animi malignitatem atque rancorem, ut ex verbis claris admodum atque perſpicuis plane contrarium ſenſum extorquere, et liquida ſatis, pro dubioſis lectoribus obtrudere ſategerit. *Verba mea de his Codicibus à Wicquefortio quondam Pariſiis Guelpherbytum tranſmiſſis, et Mazarinianis etiam alias vocatis,* ſunt: *multa in his de miniſterio Richelieu et Mazarini latebant arcana, quae tamen* (arcana puta illa ſtatus Richeliana et Mazariniana) *poſtmodum maximam partem à vitarum ſcriptoribus* (des auteurs des Memoires) *typis evulgata*

gata sunt. Quis non videt, me specialissime hic de *Richelieu* et *Mazarini* arcanis, quae quadringentorum illorum codicum Manuscriptorum aliquam saltem particulam facere, quivis hariolari potest, loqui. Et haec typis jam evulgata esse, ipse postmodum *p. 50. fatetur : sin autem verba ista de Richelii duntaxat et Mazarini, eminentissimorum prudentissimorumque Cardinalium arcanis politicis intellecta voluerit, ejus in judicando temeritas tolerabilis quodummodo videri tum poterit etc.* Quod paulo post adhuc liquidius, et in clarum testimonium quasi meae super hunc falsarium victoriae demonstrat, ipsos illos, de quibus locutus fueram, scriptores Gallos allegans, nimirum :

Memoires de Bellievre et de Silleri etc:
Memoires des Sages et Roiales Oeconomies d'Etat Domestiques, politiques et militaires de Henri le Grand. Par Maxim. de Bethune Duc de Sulli.
La Negotiation de Mr. le President Jeannin etc.

et hujus generis scripta quaedam alia. Haec omnia ex ipsius adversarii mei scripto, ex quibus quam vera sint, quae de manuscriptis his retuli, clare liquet : Nihilo-

hilominus hac occasione, uti alias per totum fere tractatum fecit, injuriose satis de temeritate mea inconsulta, inconsiderata et demente, loqui, furiis quasi agitatus infernalibus, non erubescit. Quid, facta sic codicum Mazarinianorum eorundemque historiae mentione, contra *Reinerdingium* maligne admodum effutiat, ex verbis *p.* 50. 51. *et* 52. prolatis, videre est. Et miror profecto *Reinerdingium* ausibus Betulii, quos de divulgandis codicum dictorum titulis susceperat, adeo strenue resistere voluisse, quem tantum abest, ut pro Bibliothecario haberi permittat, ut potius ad vilissima Bibliothecae servitia illum vix sufficere, in primo statim epistolae suae limine satis arroganter statuere, non dubitet.

Levissime saltem quaedam *de D. Arndtii Breviario precum e media flamma servato, et supellectili mensali B. Lutheri*, quae à longo jam tempore in hac Bibliotheca asservantur et peregrinis advenientibus monstrantur, tetigi. Hoc etiam aegerrime ferens, perquam ironice perstringit meus Aristarchus. Ridet cum pietatis inimicis, uti ex propriis suis liquet verbis, hujusmodi mirandum, relationem scilicet, quam de Breviario illo adduxi,

et

et ſic ſacras de DEO meditationes, cum nefandis quibuſdam libris vi flammae quondam aeque non conſumptis confundere non erubeſcit. Poſtmodum miratur ſatis ironice quod *B. Lutheri poculum vitreum et cochlear aeri inciſa relationi meae non inſeruerim*. Sciat autem me tali labore facile ſuperſedere potuiſſe, praeſertim cum magni nominis inter Lutheranos Theologum et Lubecenſium Superintendentem, *D. Georg. Henr. Götzium in ſcripto ſuo de Reliquiis Lutheri diverſis in locis obſervatis, p.* 21. *et* 22. ſatis amplam de his, et ſpecialiſſime quidem de poculo vitreo Lutheri dediſſe deſcriptionem, probe noviſſem. Dolendum interim, quod eo tempore, quo *Sereniſſ: Brunſvicenſ: Duces* haec talia Bibliothecae Auguſtae adjici paſſi fuerunt, non praeſens fuerit moroſus noſter Cato. Poſito hoc, certe non aſſervarentur, aut peregrinis monſtrarentur ejusmodi quiſquiliae.

Illam quam *de Sifrido Vitulo* ex antiquitate Monachali ſatis operoſe erutam ſiſtit in epiſtola ſua, p. 61. et ſequ: auctor notitiam, ego quidem nullo modo habere potui, qui Critici partes in me nunquam ſuſcepi. Interim qui ſub monſtri ſpecie in editis ac propria manu ſcriptis ſuis libris

apparere non dubitat, nulla injuria pro monſtro habetur. Nec cum neceſſaria Medico prudentia pugnare videtur, ſi quis monſtroſum hominem libros transſcripſiſſe crediderit. Cum hinc inde nota ſint exempla eorum, qui vel pedibus ipſis, vel brachiis monſtroſis literas pingere probe noverint. Memini me, anno 1698. vidiſſe Lipſiae virum pygmaeum, manibus in utroque brachio à nativitate orbum, qui loco cubiti appendicula quadam cartilaginea erat inſtructus, ungulae vitulinae non abſimili, qua non ſolum ſcribere et pereleganter quidem, ſed et alia officia magis adhuc difficilia praeſtare valebat.

Cur etiam in pejorem partem interpretetur auctor, quod *Anſelmi Boëtii de Boot in Bibliotheca Auguſta à me viſum allegaverim Herbarium*, nullam penitus video rationem. An, ſi tanti etiam non eſſet Herbarium ipſum, vel ſolum *Boëtii* nomen inter Hiſtoriae Naturalis ſcriptores ſatis clarum, non mereretur, hujus ut mentio fieret? Taceo auctorem Epiſtolae, inſignem Orbilionem potius quam Botanicum, de plantis exſiccatis in hoc Herbario occurrentibus judicium ferre nullo modo poſſe, utpote quem plura praeter

il-

illam, quam inter Julipam et Narcissum observavit differentiam, ex Botanicis nosse, haud crediderim: Potiora in hoc studii genere novisse *Boëtium*, *Illustrem Medicum*, apud omnes in confesso esse existimo.

Guelpherbyto mecum in secessum Principis, qui in salinarum valle est, abit *plagosus meus Orbilio*. Ast neque hic in adeo amoeno loco animum suum morosum ad modestiam flecti patitur. Pergit potius contumeliosis objectionibus relationem meam lacessere, et primo quidem vel maxime aegre ferre videtur, quod de mirifica Horti amoenitate ampliores laudes non fecerim. Hinc p. 85. scribere non dubitat: *quod si apud Italos, Gallos atque Batavos commoratum eum antea nossem, quam hortum hunc perlustravit, majores tum delicias animo ejus obversatas crederem, prae quibus istas non dignas adeo dijudicarit, quarum pluribus verbis faceret mentionem*. Ad hoc ut respondeam, profecto, si hortum, qui vigesimum aetatis annum nondum complevit, in nonnullis deliciis adhuc deficere statuerem, à vero penitus me aberrasse non existimarem. Quod si talem cum aliis Germaniae hortis, ut de Italicis nihil dicam, compara-

re liceret, differentia adhuc evidentior atque aſſerti mei veritas clarior inde emerſura ſine dubio eſſet. Ita, exempli gratia, *Brunſuicenſis* hic nullo modo cum *Stutgardiano* horto arci Ducum Würtenbergenſium ſedi adſito, erit comparandus: in ſpecie quod exterarum arborum, Citrea imprimis et Aurantia poma ferentium, non in vaſis cum terra ſua incluſorum, ſed ex ipſo ſolo horti emergentium, inſignem atque incredibilem fere proceritatem et copiam attinet. Ut de *Caeſaris in ſuburbio Viennenſi horto*, *de ſeceſſu itidem Imperiali in Schönbrunn*, *de Slachwodenſi in Bohemiae confiniis*, *de Pragenſibus*, *nova Troja in ſpecie*, *Comitis Wenceſlai de Sternberg deliciis*, *de Norimbergenſium Heſperidibus à Clariſſimis Volhameris excultis*, *de Horto Medico Altdorffino*, *de Veronenſibus*, *Patavinis*, praecipue illo, quem *Illuſtris Maurocenus* poſſidet, et quotannis novis exoticis exornari curat, eorumque hortorum omnium ſingularibus, nihil jam dicam. Quos omnes jam nominatos hortos, me antequam in has Brunſvicenſium regiones veni, quondam oculis meis vidiſſe ac perluſtraſſe, ſciat naſutulus meus cenſor. Miror autem hominis inſolentiam, qui mihi injuriis inſultan-

tandi nullam occasionem praetermittens, verba illa, quibus Hortum in Salinarum valle pro Juventute sua satis esse amoenum ac deliciosum statueram, sola refert et perquam acriter perstringit, de illis autem quae in relatione mea paulo post sequuntur, nihil meminit, ubi p. 11. expresse posueram: *sufficit curiosos ejusdem spectatores fateri omnes, aedificium hic cerni Rege dignum, atque in deliciis quoad hortum aeque ac Palatium nulli fere in Europa secundum.* Dixi hic compendiose omne id, quod auctor in epistola sua ampliori panegyrico, et catachrestica fortunatis et chimaericis Amadisi insulis digna descriptione recitat.

Animadversionem vix meretur puerilis illa et frivola objectio, quam ex puro puto contradicendi studio, de *Herm. Korbio, quo Sereniss: Dux in extruendo Regio illo palatio hortensi usus est*, profert male sanus auctor. Fatetur ipse *p. 95. Herm. Korbium scriniorum fabri fuisse discipulum, animadvertisse Principem, laudatum Korbium juvenem arti scriniariae intentum adhuc, praestanti et ad mechanicam aptissimo praeditum esse ingenio:* fatetur etiam eadem pagina, *Principem in amplificandis aedibus opera ejusdem usum fuisse.* Interim,

fassus haec omnia, aegre fert, et insulse minimeque convenienter me affirmasse scribit: Seren: Ducem scriniarii cujusdam opera in extruendo palatio usum fuisse. Scilicet non aeque diffuse et clare mutationem illam, qua ex Scriniario Architectus factus fuerit, post itinera scilicet varia in Italiam suscepta, iisdemque comparata artis architectonicae scientia singulari, descripseram in compendiosa mea de secessu hoc notitia. Quod tamen nulla penitus in architecti hujus excellentis gloriam injuria à me factum fuisse, quivis prudentior videt. Cum non rarum sit ex longe abjectiorum artium discipulis, magnos in quavis disciplina et arte natos fuisse magistros.

Nil minus etiam quam falsum est, quod à *Luhn Hamburgensi*, *multae picturae*, *quas recenti calci inscriptas hinc inde aedificii interiora habent*, *factae sint*. Pinxit omnino *Luhn* quam plures, quo ipso tamen et allegatum ab adversario meo *Tobiam Querfurth et Johann. Osw. Harms* suas etiam contribuisse in hoc pingendi genere operas, non nego.

Paulo post, modo auctori meo solenni, se ipsum in sole caecutientem refutat, dum scribit, *Illustrem illum pictorem Bonbellum*,

Du-

Ducis tantummodo Antonii Ulrici et Beatiss. ejus conjugis, adstante filio natu minore Ludovico Rudolpho, ut et Beveranorum Principum, Augusti Ferdinandi et Ferdinandi Alberti icones pinxisse: me autem falli Lectoribus persvadere conatur scribentem. *Serenissimae autem Familiae Ducum Brunsvisens: icones vivis coloribus affabre expressos, celeberrima pictoris Bonbelli manus concinnavit.*

De lana caprina cum antagonista meo certarem, si omnia illa, quae in ipsa pinacotheca palatii visa perperam à me relata fuisse, uti existimat, refutare vellem. Pleraque in minutiis consistunt, ita ut operae pretium haud ducam, de his cum illo rixari. Cujusmodi sunt, quae *de solio magni illius triclinii* refert, *marmore non stratum illud esse, sed ejus generis quadratis lapidibus, qui non procul a Visurgi ex silva Sollingen apportantur*. Hoc ipso quidem sui quasi immemor auctor fatetur, me magnificentius quam par est de Regio hoc aedificio sensisse, qui paulo ante tantas de nimis parca rerum adeo sublimium laudatione mea fecerat querelas. Sciat autem certo sensu ad marmora optime à scientibus referri lapides illos, qui in nostris etiam regionibus eruuntur, si modo

duritie inſigni et politurae admiſſione alios ſuperant communes.

Parum etiam in receſſu habet, quod de ſtatuis in pinacotheca tunc a me viſis monet, ſcilicet *me pro ſtatuis ex aere conflatis habuiſſe quasdam, quae ex marmore confectae ſunt*. Cum tamen expreſſe in prima tractatus mei editione poſueram: *ex utroque latere pulchro ordine digeſtae ſunt ſtatuae antiquae ex aere conflatae Homeri, Platonis etc: ut nihil dicam de aliis ex alabaſtrite confectis*.

Florae ſimulacrum, praetiociſſimum hujus pinacothecae Decus, *ex alabaſtrite confectum eſſe, falſo me narraſſe perhibet*, cum ex marmore albo potius ſit paratum. Fides maneat penes auctorem, litem propterea reciprocare nolo. Duritie marpeſium vel album marmor ſuperare alabaſtritem, non ignoro. Interim plures fortaſſis mecum erunt, qui ſubſtantiam hujus ſimulacri penitus examinandi occaſionem non habentes, illam pro alabaſtrite habebunt potius, quam pro albo marmore, potiſſimum, cum mollior alabaſtritis ſubſtantia ſculptoris labori aeque non reſiſtat, ac marpeſiae cautis durities.

An abſurdum adeo ſit commentum, quod *maxillae ſuperioris atque inferioris capi-*

pitis humani oſſa una cum oſſe frontis muſivo opere ornata pro cranio habuerim cum *Jacob Tollio:* an abſurdum adeo, quod illud ipſum pro poculo victori cuidam barbaro inſervire potuiſſe aſſeruerim cum *Clar: Henninio*, aliis modeſtioribus decidendum relinquo. Et licet formam hujus capitis oſſei, pro ut nunc conſpicitur, poculo minus eſſe aptam concederem, inde tamen hanc de poculo opinionem penitus eſſe abſonam evinci nequit. Cum facile per temporis injuriam et poſſeſſorum variorum incuriam, ita laedi potuerit, ut occipitis et oſſium temporis cum reliquis partes, quae cavitatem poculo neceſſariam efformare ſolent, fuerint abſciſſae. Profecto minus ſuperſtitioſa de poculo haec mea, quam anilis et Rabbinica de Teraphim auctoris erit ſententia.

Ridiculum porro eſt et male ſanae mentis indicium, quod curioſitati meae normam praeſcribere non dubitet auctor, dum perquam acriter perſtringit depravatum meum in laudandis curioſis guſtum, et quod ex voluminibus in viginti quinque menſis pinacothecae locatis, illud ſaltem ſelegerim, quod *Clar: Commelini Hortum Amſtelodamenſem coloribus illuminatum* conſtituit. An vero hoc ipſo injuriam

fecerim reliquis, de quibus expreſſe dixeram, *rariſſima in illis architecturæ, picturarum etc. ſpecimina inveniri*, prudens judicet. Qua ratione autem naſutulus ille mihi Botanico ſtudio addicto, vitio vertere poteſt, quod prae reliquis hoc ſolum laudandum mihi ſumpſerim? In hac arte periti norunt, quantum ad incrementum Botanices faciat rariorum plantarum vivis coloribus facta expreſſio. Norunt hoc in ſpecie Horti Amſtelodamenſis ex Magiſtratu Nutritii et Praefecti, qui plantas omnes rariores exoticas in horto provenientes, vivis coloribus chartae pargamenae, nitidiori et accurata opera, inſcribi, in diuturniorem durationem et perpetuam Batavæ Nationis gloriam, curant. Ex quibus picturis emerſerunt ſpecimina illa, quae aeri inciſa ſub allegato jam *Horti Amſtelodamenſis titulo Clar. Commelini* hactenus ediderunt. Cum ipſa originalia vivis coloribus expreſſa interim in Horti atrio aſſerventur. Magni ex pari ratione aeſtimatur *Codex ille Dioſcoridaeus* perquam vetuſtus in Bibliotheca Viennenſi Caeſarea, qui plantas in hoc auctore occurrentes coloribus illuminatas in charta pargamena etiam ſiſtit. Majoris adhuc aeſtimaretur ab artis amatoribus, illud

Her-

Herbarium, *ex tribus quidem ordinibus Methodi Plantarum Excell. Rivini duntaxat conſtans*, aſt accuratiſſima et feliciſſima *D. J. C. Scheideri*, *Profeſſoris Lipſ:* manu quondam ad vivum perquam egregie, et, quod maximi momenti, verè Botanice illuminatum. Quod in laudati D. Rivini muſeo Lipſiae adhuc aſſervatur. Opus omni laude et commendatione majus, dignum quod à curioſis Botanicis ſpectetur omnibus.

Tantum de praecipuis, quibus relationem de Bibliotheca Auguſta et ſeceſſu Ducali in Saltzthalen meam, ſuſpectam reddere voluit *Janus Gregorius Betulius*, qui tandem ſub finem ſuae épiſtolae *p.* 126. fatetur, *in pejorem partem rapi mihi minus potuiſſe*, *quando in rebus*, *quae ad Medicam artem non pertinerent*, *ſagaciſſime omnia non eſſem odoratus*, *ſi modo de me ipſo relationis exordio teſtificatus non fuiſſem*, *ſingulari ſemper affectu Bibliothecas et rem literariam me eſſe proſecutum*. Aſt, quam ficulnea haec ſua ſit argumentatio, quivis facile videt praejudiciorum nebulis non occaecatus. Num enim, ut ſimili quodam ſophiſma hoc diluam, qui concentu Muſico ſe delectari fatetur, ideo Muſicae exactam notitiam habere tenetur? Neſcio etiam,

etiam, an ſe ipſum non refutet *improvidus* auctor, cum ultimo loco ſcribit: *Rempublicam literariam non magnam adeo feciſſe jacturam, ſi obſervationibus iſtis, quas edideram, carere diutius debuiſſet.* Contrarium ipſe, edita in publicum hac ſua epiſtola, maligno quidem virore et rancore contra me undique aſperſa, de caetero vero perquam erudita et ſingulari rei literariæ et antiquitatis notitia referta, abunde, ut exiſtimo, teſtatus eſt, eruditione perquam praeſtans, aſt moribus vel maxime deficiens et philautia corruptus auctor. Semiſeculum enim fere elapſum eſt, quod nihil quaſi de incomparabili et vere Auguſto theſauro librario, qui Guelpherbyti aſſervatur, ſcriptum ſit, ut ſeceſſum in ſalinarum Valle taceam, quo de quenquam ſcripto vel minimum duntaxat publicaſſe hactenus, expiſcari non potui. Aſt epiſtolae, meae relationi oppoſitae, auctor, de utroque hoc Germaniae noſtrae miraculo perquam ſingularia communicare cum eruditis non dubitat. Potiori ad hoc, quam ego quondam, occaſione inſtructus, utpote qui, juxta propriam ſuam confeſſionem, ſingulari gaudet praecipuorum in aula Wolfenbuttelenſi miniſtrorum, et in ſpecie *Ampliſſ: Hertelii* fa-

vore

vore et benevolentia, quorum adjutus experientia, plura potuit de Bibliotheca et Seceſſu ſcire ſingularia, quae aliis aeque patefieri haud ſolent. Quorum tamen cum publico communicatio, vel nunquam penitus, vel tarde ſatis facta fuiſſet, niſi relatione mea contra intentionem, ſcribendi et cavillandi ipſi occaſionem dediſſem. Quod ſi vero *indicem manuſcriptorum Codicum Mazarinianorum edere* promiſſis ſtando non deficiet *auctor*, me hac occaſione amplius laceſſere nolit, precor: ſin autem cavillandi et contradicendi ſtudio agitatus, innocenti inſultare nondum deſinet, à moratioribus eruditis tanti amplius ſua, propter admixtam malignitatem, non aeſtimabuntur, imo vero ſe ipſum, aërem feriendo et cum umbra pugnando, turpem dabit publico. Nam et illi, qui ex prodeuntibus in publicum ſcriptis, nil niſi errores et hallucinationes colligunt, ſcarabaei ſordidiſſimi inſecti naturam imitari deprehenduntur, quod rorem et laudabilem terrae ſuccum negligens, male olentia jumentorum excrementa et ſcybala perreptare ac deguſtare in deliciis habet. Varios eſſe ſcribentium ſcopos concedunt omnes. Non cuivis ſyſtemata ſcribere, vel doctrinalia, quibus nihil opponendum, proponere lubet.

Num

Num verò de rebus minus adhuc cognitis, vel diu in obſcuro latentibus, illa revelare non licuerit, quae ab aliis accepimus vel ipſi obſervavimus, ſaltem, ut occaſio detur aliis inquirendi in illa accuratius?

Quod de caetero novam hanc Relationis meae Itinerariae editionem attinet, ſciat *B. L.* duplicem potiſſimum fuiſſe cauſam, quae ad hanc adornandam me impulerit. Ex quibus primaria quidem fuit, ut hoc ipſo commoda mihi naſceretur occaſio malignis ac doloſis obtrectationibus, quibus famae meae maculam aſpergere auſus eſt ſaepius allegatae epiſtolæ auctor, veritatem opponerem, ac publice demonſtrarem, quam male fundata et quam ſophiſtice defenſa ſint *Betulii* contra meam argumenta. Alter autem ſcopus fuit, ut deſiderio meo ſatisfacerem, eandem hanc emendatam magis atque correctam, imo et locis quibuſdam auctiorem ſiſtendi. Sciendum enim, me tunc, cum in edenda prima illa occupatus fui, variis propter illud, cui me accingere tunc debebam, longinquum iter, diſtractum fuiſſe negotiis, ita ut manuſcriptum meum, antequam typographo traderetur, decenter et accurate ſatis revidere haud licuerit, quo etiam factum, ut hinc inde irrepſerint nonnulla, quae poſtmodum typis ex-

pres-

pressa videre dolebam maximopere. Et licet ab illo tempore non minus contatenatis occupationibus, continuis fere praeterea locorum mutationibus, aliisque taediis ratione officii mihi incumbentibus, impeditus vixerim, non destiti tamen editum antea schediasma meum sub limam iterum iterumque revocare, illamque, quam nunc vides, editionem correctiorem adornare. Perpauca mutata videbis in illis, quae Bibliothecam et secessum Ducis Wolfenbuttelensis concernunt, ob rationes superius allegatas, plura fortassis quod *Botanica et Rem Medicam attinet*. Qua in re multum me adjutum fuisse *ab Excellent: Domino D. Johanne Philippo Breynio, Botanica et Naturali scientia B. Parentem suum si non superante feliciter tamen aequante*, hic, non sine magna nominis sui celebratione, fateri necesse habeo. Licuit enim per tempus illud, quo *Gedani* aula Regia hoc et superiori anno degebat, utilissima *Clarissimi hujus Viri* conversatione frui frequentius. Qua occasione multa observare et videre concedebatur, quae antea adeo accurate non sciveram. Quantum enim in aedibus suis possideat curiosorum in Botanicis, materia Medica, imo universa fere Naturali Historia apparatum *Dn. D. Breynius*, facile judicare poterit,

qui conſiderat ſupellectilem illam, quam à B. Parente habet, infinitis fere quae in peregrinationibus per Hollandiam, Angliam, Hiſpaniam, Italiam, Germaniam quondam factis, collegit, feliciter auctam ab ipſo fuiſſe, atque augeri adhuc quotidie. Hinc eſt, quod nullum fere nominaveris ipſi exoticorum utriuſque Indiae rariorum genus, quo de genuinum ac naturale ſpecimen tibi monſtrare non valuerit, ut rariora illa ſimplicia taceam, quae in Syria quondam atque Arabia, curioſa *Celeberr: Viri Jacobi Golii* manus collegit, cujus gazophylacium naturale ex haereditate paterna integrum poſſidet.

Haec ſunt quae de nova relationis meae Itinerariae editione monendus erat *B. L.* Quam ſi aequiore cenſura ac *Betulius* cum prima fecit, ſuſcipiet, eo ipſo monſtrabit, ſe non adeo contrarium eſſe illis, qui pro augmento ſcientiarum et artium, omnia, quae obſervarunt, fideliter cum aliis communicant, nec diu nimis, rodendo ungves, lucem ſcriptis ſuis fugiunt, de levioribus hallucinationibus non adeo ſoliciti, ſiquidem nihil perfectum, nihil omnibus numeris abſolutum in hac rerum fragilitate a quoquam expectandum eſſe, probe norunt. Hiſce Vale. Dab. Gedani, Calendis Martii M. D. CCXI.

Q. D. B. V.

SIcuti a prima juventute mea, praeter Avitas et Patrias Artes, quibus natus quibusve innutritus fui, singulari semper affectu Bibliothecas et Rem Literariam prosecutus sum; ita auspicium Itineris mei sub finem Julii, ut nosti, *Amicorum Optime*, anno 1706 eum in modum direxi, ut Lipsiae salutatis Amicis, per Leucopetram et Querfurthum Sylvaeque Hercyniae partem *Guelpherbythum* tenderem, ubi *a Dno Schomburgio*, sub Ducis Brunsvicensis militia vigiliarum Praefecto, benevole exceptus, ac Bibliothecario Dno *Reinerding* commendatus, altero statim ab adventu meo die Bibliothecam Augustam, per totam Europam celeberrimam, visere licuit. Haec in Armamentario Ducis tunc servabatur, postquam aedificium, quod antea illam continebat, funditus destructum fuit, de novo jam, ast longe magnificentiori modo et forma, iterum exstruendum, quo occupatum etiam vidi ingentem operariorum numerum.

Quinquaginta fere anni sunt, quod insigne hoc Rei Literariae archivum, incultum fere relictum fuit. Neque enim ab illo tempore, quo fundator ejus obiit, auctum magnopere fuit, siquidem nec ea librorum supellex quam Rudolphus Augustus Dux in privatos collegit usus, huic Bibliothecae accessit. Placuit enim B. Principi speciali legato ipsam Academiae Juliae ex parte, ex parte Coenobio Riddacshus. donare. Interim non reticendum,

noviſſime , i.e. ante hos duos annos , Bibliothecam hanc egregia acceſſione rariorum eorumque noviſſimorum codicum ex publicis aliquot Batavorum venditionibus ſub haſtâ , juſſu ac liberalitate Sereniſſ. Principis ac Ducis Antonii Ulrici etc. auctam fuiſſe , quos omnes ſingularibus armariis incluſos atque a veteri Bibliotheca ſeparatos , ab introitu a dextris poſitos , cernere licet. Quantum de caetero diligentiae ac ſumptuum primus hujus Bibliothecae Fundator impenderit , ex eo facile colligi poteſt , quod de Anno 1625 quo primum jactum fuit collectionis fundamentum , uſque ad annum 1666 codicum numerus in univerſum ad triginta fere millia jam excreverit , quos inter codices MSti mille circiter Graeci , Latini , Hebraici , Arabici etc. Magnum incrementum praebuit poſtmodum *Bibliothecae Mazarinianae* particula , Concilia nempe Generalia triginta et Septem voluminibus comprehenſa , nitidiſſima Bibliopegi opera conſpicua , atque inſignibus deauratis Cardinalis ornata. Non parum etiam contribuit Dni Wiquefortii Ducum Brunſvicenſium quondam ad Regem Galliae Legati diligentia , qui quadringentos numero Manuſcriptos codices alutâ nitidiſſime veſtitos , et Pariſiis quater ac vigeſies mille imperialium pretio coëmtos , ex Gallia Auguſto Duci tranſmiſit ; multa in his de Miniſterio Richelieu et Mazarini latebant arcana , quae tamen poſtmodum maximam partem , a vitarum ſcriptoribus , (*des Auteurs des Memoires*) apud Gallos ipſos et Batavos , typis evulgata fuerunt. De caetero vetuſtiſſimus codicum impreſſorum

nunc

nunc erat *Rationale Divinorum Officiorum*; *apud Faustum* 1459. Ex Manuscriptis notatu digniora: *Biblia Hieronymi anno* 1315 a Fratre Sifrido Vitulo, cujus icon in calce codicis cum capite manibus ac pedibus vitulinis appicta, cernitur: *Boëtii de Boot Herbarium vivum* ab Aug. Barraeo Reg. Galliae Archiatro, Bibliothecae donatum. Inspicere hic etiam licuit *Biblia Lubecae anno* 1494 impressa versionis Teuto-Saxonicae veteris cum notatu digna et foeminis odiosa glossa marginali ad Cap: Genes. 3. super verba illa: Und er soll dein Herr seyn etc. *dy vakene to pyneghende un to slaende*. Haec glossa falso Lyrae imputatur, quippe cujus commentarii Latini nihil tale habent. Quae de caetero ex B. Lutheri suppellectile domestica, ac de D. Arndti Breviario Precum, quod Hortulus Paradisiacus (Paradieß Gärtlein) inscribitur, e media flamma servato, in hac Bibliotheca monstrantur, per vulgum nota sunt. Occasione discursus narrabat mihi Bibliothecarius de *S. Ignatii Epistolis ad Philadelphenses*, inveniri in his cap. nono locum, Divi Pauli Apostoli matrimonium a Romanensibus in dubium vocatum, diserte confirmantem, his fere verbis: *sicut Petrus et Paulus et reliqui Apostoli, qui nuptiis operam dederunt etc:* et quamvis Pauli nomen in omnibus impressis Exemplaribus haud inveniatur, vetustum tamen codicem Manuscriptum in Bibliotheca Oxoniensi ab Amico optime sibi noto, fuisse visum, in quo Pauli nomen, quamvis rasura et attentata deletione affectum, inveniatur. Lustrata sic per aliquot dies Bibliotheca, ante a-

bitum et Arcem visitavi Ducalem, proximeque adjacens Collegium Equestre. In urbe vero tristissimum tunc spectaculum praebebant rudera Templi novi, secundum modernae architecturae regulas a Sereniss. Ducib: Brunsvicensibus sub initium anni Jubilaei M DCCI perquam nitide exstructi: Fidem fere omnem superat, aedem hanc Sacram ex fundamento usque ad summum fastigium fere lapideam, intra paucarum horarum spatium, per ignem coelitus delapsum, tam misere fuisse destructam, ut non nisi obscura quaedam solidi hujus aedificii vestigia jam amplius supersint. Evenit tristissimum hoc fatum circa illud ipsum tempus, quo in Seren. Ducis aula controversia de Principis Neptis eligendo Divino Cultu ac fidei Professione vigebat.

Gvelpherbyto discedens *Brunsvicum* perrexi, atque in medio itinere diverti in magnificum Ducis Ant. Ulr. Palatium Hortense, vernacula Saltz Thal appellatum. De Horto nihil jam dicam, cujus deliciae pro juventute sua satis quidem sunt egregiae: sufficiat de aedificio ipso monuisse, illud quidem solum ex lateribus coctis tignis ligneis suffultis, ante hos octodecim annos esse extructum, quoad regulas tamen Architectonices ac jucundissimam situationem paucis Germaniae Palatiis Hortensibus cedere. Usus est Sereniss. Dux in extruendo hoc, et amplificando opera *Hermanni Korb*, Viri ad mechanicam nati, ingeniosissimi, ac Duci hoc nomine singulariter chari. Hic *Hermannus Korb* Scriniarius ante, nunc supremus Principis Architectus, singularem in concinno ac terso hoc aedificio

prae-

praeſtitit dexteritatem, ab exteris Italis etiam ac Gallis, qui in hoc artium genere primas ſibi alias tribuunt, aeſtimatam magnopere atque laudatam. Quod picturas illas attinet, quas calci recenti inſcriptas, aedificii interiora habent, ex his plerasque civis Hamburgenſis nomine *Luhn* fecit: Sereniſſimae autem familiae Ducum Brunſvicenſium ac Lüneburgenſium icones, vivis coloribus affabre expreſſas, celeberrima pictoris *Bonbelli* manus concinnavit. In medio fere Palatii hujus ſpatioſiſſimum viſitur Triclinium parallelogrammi forma, nullis ſuffultum columnis, cujus ſolium marmore tectum, laquear autem fornicatum atque amoeniſſimis picturis exornatum eſt. Ex utroque latere pulchro ordine digeſtae ſunt ſtatuae antiquae partim ex marmore partim ex aere conflatae, Homeri, Platonis, Demoſthenis, Ariſtotelis, Dionyſii, Ciceronis, Senecae etc. effigies ſecundum capita vultusque exprimentes, ut nihil dicam de aliis integris, quas inter elegantiſſima, Floram referens humi jacentem, quam ex ipſa Graecia accerſivit, ac mille imperialium pretio coëmit Dux Sereniſſ. Reliqua ſpatia occupant rariſſimae excellentiſſimorum pictorum tabulae: in hinc inde vero poſitis menſis ſtrata ſunt viginti quinque numero volumina, aluta obducta, rariſſima Architecturae, Picturarum et Rei Herbariae ſpecimina continentia, quae inter *Clar. Commelini Hortus Amſtelodamenſis* etiam erat, cujus figurae ſingulari diligentia illuminatae coloribus, oculos delectabant. In lateralibus hujus Triclinii conclavibus, aſſervantur alia quam pluri-

sima eaque rarissima pictorum opera e. g. Maria et Josephus a *Mich. Angelo*, pictura mille et quingentis imperialibus comparata: Salvator Mundi in Oliveto a *Caraggio*, pretio bis mille imperialium acquisitus: Josephus ut faber lignarius repraesentatus, a *Pietro Romano*, qua tabula Potentiss. Prussiae Rex cimeliarcheum hoc augere nuperrime voluit. Memini etiam in secretissimo conclavi, quod omnibus non aeque patet, inter ingentem numerum rariorum ex China et Japonia, Asia et Graecia Antiquitatum, me vidisse vetustissimam tabulam aeneam, cubitalis fere altitudinis, summi apud Graecos Philosophi, Aristotelis caput, elevata opera exhibentem, subjecta sequenti inscriptione Graeca:

ΑΡΙΣΤΟΤΕΛΗΣ. Ὁ ΑΡΙΣΤΟΣ. ΤΟΝ ΦΙΛΟΣΟΦΩΝ.

Mirabar articulum τὸν in hac inscriptione minus ad Graecae Grammaticae genium fuisse positum, quod tamen ignorantia artificis scalptoris facile accidere potuit, nec ideo antiquitati hujus tabulae quicquam derogari, mihi quidem videtur. Ostensum mihi in eodem hoc antiquitatum sacrario cranium Humanum, musivo opere elegantissime ornatum, ex quo olim apud Paganos Oraculum dedisse responsa, adstantibus persvadere satagebat Palatii hujus Inspector; ego vero pro poculo potius cranium hoc olim inserviisse victori cuidam Barbaro, persvasus sum. De reliquis Magnifici hujus Palatii conclavibus eorundemque ornatu prolixior hic esse nolo; sufficit curiosos

ſos ejusdem ſpectatores fateri omnes, aedificium hic cerni Rege dignum, atque in deliciis quoad hortum aeque ac Palatium nulli in Europa ſecundum. Hoc tamen, antequam hinc diſcedam, unicum adhuc commemorandum mihi reſtat, inſigniori loco caeteris conclavibus immiſtum eſſe Sacellum cum Choro, in quo virgines cum Domina ex Nobilitate Equeſtri oriunda certo numero ſtipendio hic fruuntur ſatis liberali, et quotidie ſtatis horis precibus ac hymnis cultum divinum, more Proteſtantibus familiari, celebrare ſolent.

Brunſvici quid viderim non multum attinet dicere, excepto Cathedrali Templo Arci Ducali e regione ſito, quod dicatum ab antiquitate Sto Blaſio quondam fuit: in choro vidi ſubſellia et libros antiquiſſimo charactere Monachali ſcriptos, quae illis Canonicis, qui horas hodienum ex veteri conſvetudine quotidie cantare ſolent, inſerviunt. In Arce ipſa, quae non adeo magnifica, ſed ad veteres Gothicae Architecturae regulas ſimplici forma extructa eſt, inter rariora aſſervantur ac monſtrantur in certis conclavibus duae tabulae pictae, altera exhibet puellam Perſicam tranſparente tela amictam, in ipſa Perſia facta indeque in hunc locum tranſlata, ſatis elegans: altera Philippi IVti Hiſpaniarum Regis conjugem vivis coloribus ad vivum expreſſam, in habitu, quo viduae regiae in Hiſpania comparere ſolent.

Brunſvico cum mercatoribus quibusdam, qui nundinas Brunſvicenſes viſitaverant, Hamburgum per Cellam et Harburgum profectus ſum. Hic a *Domino Hilcken Icto*, Agnato

meo, hoſpitio liberaliter excipiebar, cujus cum conjuge Amantiſſima, ſingularem benignitatis in me affectum ſatis depraedicare nequeo. Hujus Viri Clariſſimi opera, quicquid Hamburgum prae caeteris viſu dignum habet, luſtrandi occaſionem exoptatiſſimam nactus ſum. Habet enim cum Praecipuis Urbis hujus Viris, Literatis praeſertim, commercium ac neceſſitudinem ſingularem, in propria vero domo Bibliothecam ex omni genere politioris literaturae librorum ſelectiſſimam, quam ipſe in peregrinationibus ſuis per totam fere Germaniam, Utrumque Belgium, Angliam, Daniam et Sveciam conqviſivit ſedulus. Vidi in hac libros rariſſimos, quorum bonam partem comparavit anno 1691 Lugduni Batavorum ex arcana illa *Johann. van Weſtreenen* Bibliotheca, cujus catalogum hodienum aſſervat, libros rariſſime occurentes et pauciſſimis notos ex Hiſtoricis Graeco-Latinis, Antiquariis, Numiſmaticis, Literatoribus, Geographicis etc. continentem. Fuit enim *Johann. van Weſtreenen* in perſcutranda veterum Graecorum et Romanorum vivendi ratione, in ſpecie quod voluptates ac delicias Venereas attinet, per totam vitam ſuam curioſiſſimus: qua de re ex antiquis monumentis ac ſcriptoribus fecit ſibi collectanea, quorum bonam partem inſeruit famoſiſſimo illi libello ſub *Aloyſiae Sigeae et Elegantiarum Latini ſermonis* nomine in publicum edito. Repertus fuit in ejus ſcriniis poſt mortem alius adhuc ejusdem farinae tractatus, manu propria ſcriptus, et adjectis figuris illuſtratus, praecedente multo nequior, quo obſcoenos omnes, quos ex anti-

tiquitate actus colligere potuit, repraesentavit, et elegantissimo, quo excellebat sermone Latino, explicavit, qui tamen, DEO sint laudes, typis nondum evulgatus est. Apud eundem *Dn. Hilcken* vidi etiam *D. Urbani Hiärne Archiatri Regis Sveciae de Historia Naturali Sveciae Prodromum* lingua Germanica conscriptum, cujus titulus:

Kurtze anleitung / wie man unterschiedliche Ertz- und Berg-Arten / Mineralien / Gewächße und Erd-Sorten / nebst mehrerern seltsamen dingen erforschen und angeben könne. Auff Ihr Königl. Maij. allergnädigstes Belieben an alle und jede dieses Reichs Einwohner / welche lust haben dasjenige / so an einen und andern Orten gefunden werden kan / ans Liecht kommen zu laßen / ausgegeben An. 1694. Stockholm in der Königl. Druckerey.

Ex contentis, quia non pauca eaque singularia ad Historiam Naturalem in specie R. Miner. facientia habent, summatim quaedam hic allegare non poenitebit.

Cap. 1. §. 5. Ob irgends wo Quellen gefunden worden / so dürre und naße Jahre / Hunger / theure zeit / Krieg und anderes Unglück anzeugen? gleich wie bey Neukirchen in Oster-Gothland eine solche Hunger-quelle gefunden wird / und Bielerwegen in Engelland / auch wie man vermeinet / die ebbe Motala bey dero Stillstehung vorbedeuten soll.

§. 7. Ob Wäßer / die keinen Grund oder boden haben / gefunden werden / nicht allein in Seen (wie man vor gewiß Vorgeben will / daß in der Wetter / unter Almbergs West-Seiten / noch nimmer einiger Grund gefunden sey; sondern auch in kleinen Seen / als in West-Gottlandt in den weisen und schwartzen Schlund.

§. 8. Ob irgend wo einiger Schlund-brunnen / stehende See / oder anderer Ort angetroffen wird / dahin beym Regenwetter alles waßer zu sammen ziehet / und gleichwoll kein Auslauf gefunden wird? als in Ingermannland an etlichen Orten / welche sie Kurimus nennen / da alles waßer gleichsam verschlungen wird.

§. 10. Ob Seen / so gar überwachßen sind / dergleichen man sagt / daß eine in Liefflland seyn soll / welche dermaßen überwächset / daß man kan Heü drinnen machen / und darunter tieffes Wasser und Fische sind; Oder aber Seen mit doppelten Boden bewachsen / daß sich die Fische darunter enthalten / und mit keinem Netze oder Garn gefangen werden können / als in Jemptland / welche der Seel. Drachenstern durch ein sonderliches Feuerwerck gesprengt hatt.

Cap. II. §. 15. Ob man jemahln durch einen harten Berg gekommen / wie gemuthmast wird / daß in dem Athwed und Petersberge Gruben geschehen sey / und in alten Gruben in Teutschlandt / nach einiger Berg-Chronicken Bericht / daß man endlich am Sole auff einem trieb-Sand gerathen / allwo man mit dem allerlängsten Stangen nicht hatt können einigen Boden erreichen.

Cap. III. §. 11. Ob es einiger Orten Erde gebe / so da scheint oder leuchtet / wenn man sie in Finstern reibet? NB / Ist einmahl in Upland ohnweit Stockholm erfunden.

Cap. VII. §. 1, So werden auch auff öland Steine gefunden / die man zu belegung des Erdreichs gebraucht / mit weißlichen Stacheln / welche halbe Monden / Spiese representiren.

Cap. X. §. 2. Von Silber-Ertze ist dieses allein zu mercken / daß dasselbige hier zu Lande mehrentheils in den feinen Kälck-Bergen oder in Marmor gefunden werde / deßwegen man in solchen Orten

nach-

nachsuchen muß; dieses ist fast von vielerley Gattung / bey uns aber giebts mehrentheils Glantz-Ertz / das mit feinen Körnern ist gemeiniglich reicher / aber es ist nicht allezeit das beste / so am meisten glänzt.

§. 8. Unter denen unterschiedlichen Lapländischen Berg-Arten / welche der Herr Baron Ammiral und Lands-Hauptmann Hans Klerck mir verehret / habe ich auch ein klein stück Queck-Silber-Ertz bekommen / sehr schön und hoch von Farben / roth und schwehr / wie ein zinober.

Cap. XI. §. 15. Schörl / sind schwartze Körner grössere und kleinere / mehrentheils wie kleine Bohnen / gantz dicke und beynahe wie Granaten. In Norland findet man so grosse / als Wall-Nüße / und sehen sehr gleich dem reichen Zinn-Ertz / so man nennt Zin-Graupen: wenn man das kleinere findet / von der feinen und dichten Art / kan es sich woll lohnen.

§. 9. Marien-Eisz und Glimmer Gold samt Silber-Schein oder Mica ist eine Anleitung zu reichern Mineralien, insonderheit wo es in grosser Menge gesehen wird.

Tractatus hic apud nos paucissimis notus. Ex ipsa enim Autoris manu, idiomate Svecico et Germanico expressus Amicis suis exteris communicatus, in Svecia autem jussu Regis in singulis Regni praefecturis distributus fuit. Num post haec tempora Clariss. Vir *D. Hiärne* de promissa Historia Naturali Sveciae specimen aliquod ediderit, adhuc non constat, quod tamen omnes in Physicis curiosi impatienter expectant.

Multum negotii tunc facessebat *Dno Hilken* editio operis Posthumi *Vincentii Placcii de Anonymis Scriptoribus detectis*, quod collata ma-

manu et opera reliqvorum Teſtamenti Placciani Curatorum, ex ſchedis B. Autoris cum ſupplementis *Dni Maſtrichti* Patricii Bremenſis etc. typis evulgare per Dn. Liebernickel Bibliopolam Hamb. ſatagebat, pro quo labore ſingulo ex Teſtamentariis quinquaginta quinque exemplaria completa debebant redire. Impendendus autem erat huic editioni labor haud exiguus: continuatio enim illa, quam *Vinc. Placcius* poſt primam editionem de Anno 1678 uſque ad annum 1691 ipſe concinnaverat, ſchedis male diſpoſitis erat inſcripta, dimidiatis verbis et compendiis ſcripturae concepta.

Antequam ad ea quae in publico vidi, progrediar, mentionem etiam facere debeo *Dn. D. Luders*, Medici Practici Excellentiſſimi. Hic in conquirendis curioſis ex R. Minerali in ſpecie; admodum eſt ſedulus, atque apparatum habet ſat elegantem, inter alia aſſervat Cornu Ammonis magnitudine imperialis fere, ex pyrite, aeris politi ad inſtar coruſcante, elegantiſſime a natura fabrefactum, nitidiſſimum ac integrum. Hujus viri humanitati etiam debeo, quod apud *D. Benedictum Nicolaum Petraeum*, qui anno 1699 *Trajecti* curioſam edidit diſſertationem *de Natura Metallorum nonnulliſque eorum Artefactis*, viderim Muſeum ex Mineralibus rarioribus conſtans inſtructiſſimum. Introduxit me idem Dn. D. Luders in aedes Phyſici Hamburgenſis *Dn. D. Bieſters*, Practici Famigeratiſſimi, Viri omni vultu et geſtibus ad humanitatem compoſiti. Hic olim Londini in Anglia Praxin fecit, tanto cum ſucceſſu, ut brevi tem-

po-

pore ingenti argenti ſumma ex Praxi ſua ditatus, marſupio bene inſtructo poſt aliquot annos Hamburgum redierit. In diſcurſu narrabat mihi de nova Podagram curandi methodo, qua clarebat h. t. Hamburgi ruſticus: Solet hic quotidie pedes Podagricorum urina imbuere, et veſicatoria ſimul applicare, et ita permultos a doloribus conſvetis reſtituit. Lotio Vaccino jam plures etiam uti intra corpus aſſumpto, vernali praeſertim tempore, tanquam univerſali ſangvinem depurante, meminit, quod ab Anglis, qui proprium lotium pro hoc ſcopo uſurpare non dubitant, originem habere exiſtimavit. Alius Practicus tunc degebat Hamburgi *Dn. D. Kirchhoof*, qui in diffuſa, qua gaudet praxi, tamen in libris colligendis ſatis eſt curioſus.

Monſtrabat ille mihi raram et optimam Coelii Aureliani editionem, a Domino Fabricio maximopere commendatam, quam ex Bibliotheca Gudiana, quae meo tempore auctionis lege publice diſtrahebatur, comparaverat. Titulus erat ſequens: *Coeli Aureliani Siccenſis, Medici vetuſti et in tractanda morborum curatione Diligentiſſimi, Secta Methodici*

De Acutis morbis L. III.
Diuturnis L. V.

Ad fidem exemplaris Manuſcripti caſtigati et annotationibus illuſtrati. Cum indice copioſiſſimo, Lugduni ap. Gvil. Rovillium ſub ſcuto Veneto, M. D. LXIX. Alph. I. ½ *in* 8. Aliam adhuc editionem inveni allegatam apud *le Clerc Hiſtoire de la Medicine. Part.*

II,

II. *p.* 160, ubi haec leguntur: *Dalechamp a enfin fait imprimer ce même auteur, Caelius Aurelianus, complet, à Lion en* 1567 *chez Rouillé in octavo, avec des notes marginales, mais il ne s'est pas nommé.* Quod si Dominus *le Clerc* hic errorem non commisit in allegando editionis anno, pro 1569 ponendo 1567 non adeo tamen differre hanc suam editionem de allegata mea, putarem. Interim ambas has editiones, accurata emendatione, quae modo lucem conspexit *Clariss. Domini Joan: Janssonii ab Almeloveen*, superabit, spero.

Haec de privatis: pauca jam de publicis Hamburgensium Bibliothecis ut moneam, ratio postulat. Praecipua ex his atque instructissima est *Johannaea*, quae ab Aede Sacra Divo Johanni dicata nomen habet. Bibliothecarius erat *Dn. D. Suerlander*, ingenuus et erga peregrinos Humanissimus Vir. Praeter ingentem codicum impressorum numerum haec Bibliotheca Manuscriptorum rariorum bonam etiam partem habet, ex quibus mihi monstratis praestantiora erant sequentia.

D. Paul. Marqv. Schlegelii Herbarium vivum tomis sex comprehensum, in quo plantae omnes cum cura singulari exiccatae et explicatae a docta celeberrimi Auctoris manu cernuntur.

Chronicon Lubecense, ab anno 1106. *ad annum* 1430.

No. 25. *De Konst Magia na der Meinung der Olden: Speculum Hermetis cum figuris:* Multa in hoc Manuscripto ex *Mars. Ficino*, cujus allegatio frequens est. De caetero insignis

gnis in eodem figurarum et characterum Magicorum numerus. In legendo et excerpendo hoc ipso codice Manuscripto multum laboris et operae quondam consumpsit Bibliothecarius nomine *Bluhm*, Schelhammeri Antecessor, qui postmodum tristissimo fato manus sibi intulit violentas, ac de laqueo in ipsa hac Bibliotheca, non sine insigni loci profanatione, se suspendit.

No. 58. Pselli Quaest. et solut. Physicae ad Imperatorem Michaelem Ducam Constantinopolitanum. Bonon. 1580. emptum a Luca Holstenio 1624.

No. 62. Fausti libellus. quod nihil incorporei insit Creaturis. Claudiani Mamerti de Statu Animae Libri tres. Typis quidem expressus hic liber, ast sedula Lindenbrogii manu castigatus et auctus.

No. 94. Physica nonnulla, inter quae nomina Piscium Albis fluvii, Latina et Germanica.

In Octavo.

No. 7. Album Friderici Lindenbrogii, in quo praecipuorum sui temporis Virorum, eruditione et artibus insignium, manu propria scripta inveniuntur.

No. 8. Scriptum magicum Germani idiomatis, Van der Punctier Künst.

In Duodec.

No. 5. Abregé d'Alchimie, Auctor est Alphidius. materiam nominat Mercurium: totus Tractatus duas facit plagulas.

Inter curiosa Naturalia, quae in hac Bibliotheca simul asservantur, eminent Conchylia, atque ex his Conchae Musicae elegan-

gantissimae, itemque Concha Imbricata rarissima inventu. Mandragorae radicem mihi etiam monstravit Bibliothecarius eleganter exasciatam, manibus in tergum versis, barba prolixa, hiante ore, dentibus extructo, barbati senis figuram exacte referentem.

Alia jam Hamburgi est Bibliotheca Canonicorum, quae in templo Cathedrali asservatur. Fundator hujus fuit *Dn. Goedersen*, Capituli quondam Decanus, Amplificator *Dn. Müller*. Libri hujus Bibliothecae praestantiores sunt sequentes:

Ptolomaei Geographia, chartae pergamenae perquam nitide impressa Ulmae Sveo. 1486. *cum chartis Geographicis eleganter illuminatis*. Fuit hic Bibliothecae Pragensis ante hac civis, translatus ex hac in Hamburgensem, a milite quodam Sveco, Pragensis devastationis socio.

Mss. sub nomine Addenda et Delenda in Historia Thuana, digiti crassitie auro obductum et aluta investitum. Eodem nitore atque elegantia codex hic est compactus, quo Manuscripta illa Parisina, quae Guelpherbytanam Bibliothecam orniant, et quorum superius facta fuit mentio, instructa cernuntur, ita ut partem alias fecisse eorundem videri posset.

Habet haec Bibliotheca fundum ex legato aliquot Canonicorum, ex quo libri novi et curiosi quotannis coëmuntur, qualis erat novissimus ille, quem monstrabat Bibliothecarius: *Mishna, Guil. Surenhusii Groningensis, Amsterod.* 1700 impress. tribus voluminibus comprehensus, ac triginta imperialibus comparatus.

Ex

Ex Bibliotheca in hortos, quos Hamburgenſes habent eximios atque inſtructiſſimos. Ex praecipuis, quoad rariores plantas, exoticas praeſertim, erat h. t. Domini *Laſſdrop*, ſpatioſiſſimus, omni genere deliciarum uti et vivario inſtructus. Plantas quas hic inveni rariores erant ſequentes.

Pyrocantha ſpinoſa, fructu Sorbi Aucupariae, folio Pyri. Hanc Leonard. Pluckenetius inter plantas Virginianas tab 46. *fig. I.* optime delineatam ſiſtit ſub nomine *Meſpil. aculeatae pyrifoliae, denticulatae, ſplendentis, fructu inſigni rutilo.*

Azedarach Avic flore coeruleo, fol. jaſminii fraxini. Eſt arbuſcula flore pentapetalo regulari, fructu molli globoſo pentapyreno. Figuram hujus ſatis accurate expreſſam invenimus apud *Remb. Dodonaeum p.* 848. *editionis Latinae, Belgicae autem . p.* 1326.

Laurus Americana: optimam hujus iconem dedit *Franc. Steerbeck in ſua Citricultura*: vocatur etiam *Laurus Indica Aldini, vel Americana Ferrarii. Tobias. Aldinus* enim fuit, qui primam dedit hujus figuram *in Horto ſuo Farneſiano p.* 60. *edit. Romanae, quae anno* 1625. *prodiit.*

Colocaſia: de qua horti inſpector referebat, folia aquam, qua irrigari ſolet, in ſubſtantia reddere. Eſt *Arum maximum Aegyptiacum, Calcas, Veſlingii, vel Proſp. Alpini.* De Aro hoc Aegyptiaco vide, quae contra alios cum fundamento ſcribit *Fab. Columna in* Εκφράσει *Part. II. p.* 1. Optimam hujus Ari figuram habet *Abraham Munting, in Waare Oeffening der Planten, Amſterd.* 1672 *impreſſ. p.* 273.

Malus Aurantia fol. Salicis : Rara ſpecies, cujus *Johann. Bapt. Ferrarius in Heſperidibus meminit.* Folia habet picta, fructum oblongum variegatum, aurei et flaveſcentis coloris. A Germanis noſtris haec ſpecies appellatur Turckiſche Pomerantz. *Ferrarius* fructum potius, quam arboris folia et figuram deſcribit. *Cl. Tournefortio*, *Inſt. Rei Herb: p.* 620, vocatur *Aurantium Virgatum anguſtifolium.* Notandum autem, quod varietas foliorum ſecundum latitudinem atque anguſtiam in una eademque arbore plerumque obſervetur.

Ladanum, rectius *Ciſtus Ledon*, flore albo, magnae Roſae inſtar explicato. Hic frutex propter proceritatem ſuam his in regionibus raram, floremque admirationi erat omnibus. Veram hujus figuram ſub nomine *Ciſti Ledon I. vel anguſtifolii, flore omnino interdum albo, ſiſtit Carol. Cluſius, Hiſt. Rar. Pl. p* 77.

Acacia Cornigera, aculeis ad ramulorum exortum cornua bovina referentibus, ſiliqua roſtrata, qua de vid. *Jacobus Breyniusin Prodr. p.* 4. Figuram curioſae hujus Plantae habet Hernandes p. 86. et *Leonhard. Pluckenet. Phytograph. tab.* 122.

Ficoidis rara ſpecies: cujus folia craſſiora ſucculenta, in extremitatibus, eminetiis margaritas referentibus ornata ſunt. De Ficoide hac vid. *Volckamerus Flora Norimb. p.* 166, qui ſolus hujus ſpeciei mentionem feciſſe obſervatur.

Aſter Ayzoides, rectius *Ficoides African. fructu maximo eduli*. Ayzoides a foliis ſedi appellatur. Sub nomime *Ficus Ayzoidis hanc*

ſpe-

ſpeciem habet Hermann. Hort. L. B. p. 245.

Cereus altitudine ſua viri proceritatem exaequans. Hunc *Tournefort* ſub nomine Melocacti Americani, monocloni deſcribit; *Dn. Hans Sloane* autem *in Catal. Plant. Jamaic.* 196. Cereum craſſiſſ. fructu intus et extus rubro, nominat.

Tithymalus African. racemoſ. Flore albo pulchre circumcirca diviſo. Quem in *Hiſt. Nat. Imperati* ſub Tithymalo aphyllo, planta di Mauritania, deſcriptam invenimus.

Rapum S. Antonii, planta noviſſime ex India transmiſſa, pro rariſſimo exoticarum Horti ſui ſpecimine ab Hortulano habebatur. Statura ſua et floribus Turritim perfecte referebat.

Haec ſunt quae Hamburgi notatu digna inveni: praetereon. lubens alia omnibus obvia et ſpectata. Non poſſum autem, quin ſumma, qua decet laude, antequam hinc diſcedam, praeter caeteros jam ſupra laudatos, memor ſim Amicorum quorundam Veterum, ex parte Academicorum, eorumque favorem et collata in me beneficia publice praedicem. Quos inter *Dn. M. Müller*, Eccleſiae cujusdam ſuburbanae Paſtor, et *Dn. Luttman* S. S. Miniſterii Candidat. Praeſertim huic poſtremo, pro Syſtaticis Londinum ad Sororis Maritum Dn. Heidridder, Mercatorem datis ſingulari amore grataque voluntate me ſemper obſtrictum profiteor. Primo loco mihi hic nominandus etiam fuiſſet Dn. D. Nehmitz, qui praxin Medicam tunc Hamburgi feliciter exercebat. Hujus benevolentiae debeo, quod in aedes Domini Dangerfeld Reg. Polon. et

Elect. Saxon. apud Hamburgenſes Legati Reſidentis, introductus, ac multo ibidem honore ac beneficiis mactatus fuerim. Sciunt, quibus nota Domini Dangerfeld erga exteros comitas et humanitas ſumma, quam ſplendide excipiat in aedibus ſuis, ſupra fidem magnifica ſuppellectile atque apparatu inſtructis, ſibi commendatos. Quapropter tacita potius veneratione Generoſi hujus viri laudes praeterire, quam ejusdem Magnificentiae intempeſtiva relatione quicquam detrahere, conſultum duco.

Hamburgo, adulto jam Septembri menſe, Amſterodamum rheda conducta cum duobus ex Sileſia mercatoribus profectus ſum, via illa ordinaria, quae per *Boxtehudam*, *Bremam et Lingen* in Hollandiam ducit: *Amſterodami* autem tunc nihil moratus, ſtatim *Hagam Comitis* me contuli, ubi obtentis pro libero commeatu patentibus a Reginae M. Brittanniae legato *Dno Stanhope*, *Roterdamum* abſceſſi. Hic, antequam Angliam peterem, *Dominum Bayle* convenire diſcupiebam, a quo autem acceſſus propter morbum, ipſi poſtea fatalem, denegabatur: Et affirmabat *Dn. Leers Bipliopola*, vir prudens ac literatus Dno. Bayle ab intimis, nihil eſſe fictum in hac deſiderati acceſſus declinatione: aegrotare enim jam ab aliquot menſibus optimum hunc virum triſti malo, omnem ipſi ſuccum et ſanguinem exhauriente, cum doloroſa ſangvinis et puris expectoratione, quod ipſi non ſolum ſermonem redderet difficiliorem, ſed ſimul etiam ſcriptis ac defenſionibus contra adverſarios neceſſariis, inſignem injiceret remoram.

Poſt

Post unum igitur alterumque in laudati *Dni Leers* Bibliopolio aditum, nihil praeterea Roterodami egi, sed in portum haud procul abjacentem *Helvoet*, *Sluys* cum nave delatus, ibidem ordinariam illam transfretationem per Celocem (*Paquet Boot*) in Angliam expectavi. Erat die Dominica hora fere septima pomeridiana, ubi dictam navem conscendi, simulque me prima vice stupendis illis maris fluctibus commisi. Licebat mihi tunc adeo quidem felici esse ut altera die hora quasi undecima antemeridiana, optatum Angliae portum, *Harvicum*, tenere, ventis impetuosis quidem, ast cursui nostro faventibus, concederetur: sequenti die *Londinum* pergebam, quod primo Octobris St. N. vidi, admiratus sum. Urbem enim hanc totius Europae Christianae fere maximam non sine singulari stupore lustrabit curiosus advena. In tota longitudine sua cum suburbiis, quae ab ipsa civitate vix a ne vix quidem distingues, septem leucas Anglicas, quae milliare Germanicum fere excedunt, habet. Num Parisiis numero civium atque hominum cedat, meum non est determinare: hoc saltem certum est, in plateis illis majoribus Urbis ac viis regiis, tantam omni tempore occurrere hominum turbam, ut a pressione liber sit nemo, qui pedibus iter facit, ut taceam periculum a vehiculorum publicorum perpetuo cursu obviantibus imminens. Singularia hujus Urbis sigillatim recensere non stat sententia: pleraque *Londini* ornamenta tacendo laudavero, ne quid descriptionis tenuitate horum splendori detrahatur. Summatim autem pauca eaque praeci-

pua, Tibi, *Amice* Integerrime, in memoriam revocabo, qui, cum Angliam ipſe luſtraveris, omnium optime, ubi deficio, commemoranda ſupplebis.

Primum quod viſitavi, ex aedificiis publicis erat magnum illud Xenodochium publicum, quod Anglice *Charter-Hous* appellatur. Per totam Europam invenietur vix ullum, quod tam inſignes ex Magnatum legatis poſſidebit divitias, quam hoc ipſum: ita ut reditus ex fundo annui quinquies mille librarum Anglicarum ſummam conficiant. Aluntur in hoc ſenes pariter ac Juvenes; maximam partem autem faciunt pueri parentibus orbi, quorum tenera aetas, ab aliquot praeceptoribus hunc in finem conſtitutis, ad pietatem et humanitatem ſolicite informantur: beneficia quoque apud hos minus ceſſant cum fine pueritiae; ſiquidem illi, qui literis operam dare apti reperiuntur, in Academia Cantabrigienſi poſtea largiſſimis, pro ſtudiis proſequendis, fruuntur ſtipendiis.

De *Monumento*, inſigni Londini decore, quod in aeternam triſtiſſimi hujus Urbis fati, quo principalior ejus pars anno 1666 flammis conſumebatur, memoriam erectum eſt, mirari ſatis nequibam, in angulo Urbis tam abjecto inveniri ſtupendum ejusmodi obeliſcum. Narrabant autem ideo hunc pro Monumento locum fuiſſe electum, quia huc usque flammarum furor in fatali illo incendio, nec plus ultra ſaevierit: interim ſpatium illud, ex quo conſpicitur magnificum hoc opus, anguſtum ſatis eſt, ita ut integrum a fundamento ad faſtigium usque oculis uſurpari a nullo fere

la-

latere poſſit, ſiquidem domunculis circum circa cominus adjacentibus ſeptum eſt.

Pontem illum famoſiſſimum, qui ex Londino ad alteram Civitatis partem, Epiſcopi ſedem ducit, nemo qui transgreditur, pro ponte habebit: ex utroque enim latere domibus ſtipatus eſt, ita ut in uno ſolo ſaltem pateat, eoque fere medio loco, ubi ex ponte in Tameſin poſſis proſpicere.

In Arce Londinenſi, vaſtiſſimo fortalitio, quae ab Anglis *Tower* appellatur, ſequentia mihi fuere monſtrata: Atrium, in quo arma vetuſta illa aſſervantur, quae regnante Eliſabetha, Hiſpanis terra marique caeſis, Londinum in Victoriae teſtimonium transferebantur: aliud, integram Regum Angliae, ad vivum vultibus et ſtaturis repraeſentatorum, equis cum conſveta armatura inſidentium, ſeriem continens: in inferiori contignatione non procul a turre, in qua Regius Theſaurus aſſervatur, ſpatioſum eſt atrium, omni genere tormentorum bellicorum inſtructum, quae inter tunc monſtrabantur nobis tormenta aliquot ex aere in urbe Hiſpaniarum Sevilia a Germano artifice conflata, quae in nuperrima Portus *Vigos* expugnatione, partem praedae fecerunt: immediate ſupra hoc, inſignis atque infinitus fere numero aſſervatur apparatus Bellicus, qui in omni genere armorum, equites juxta ac pedites inſtruentium, conſiſtit. Non vetuſta haec, ſed nova plane, ad hodiernum belligerandi modum perquam nitide confecta atque elegantiſſime diſpoſita ſunt. Quibus certus artificum praeeſt numerus, qui defendendis a ſitu et rubigine his ar-

 mis

mis quotidianam impendunt operam. Ille qui nobis monſtrabat Bellicum hoc Gazophylacium, aſſerebat haec arma pro inſtruendo plus quam centum mille militum exercitu ſufficere. Tandem in ſupra allegata turri, ejusdemque loco ſubterraneo fornicato, accenſis candelis a muliercula, monſtrabatur nobis *Theſaurus Regius*, qui ex ſequentibus potiſſimum conſtabat ſpeciebus :

1. Corona Imperiali, qua Reges Angliae omnes jam ab Eduardi Confeſſoris tempore coronati fuerunt :

2. Orbe Imperiali, cujus ſummitatem ornat adamas unciam unam cum dimidia craſſitie ſua exaequans :

3. Sceptro Imperiali cruce ſignato, cum adamante ingentis etiam pretii :

4. Sceptro Columba ſignato, Pacis Symbolo :

5. Pedo Sti Eduardi ex auro obryzo malleato, quod Regibus ad Coronationem ductis, praeferri ſolet :

6. Salino pretioſo, auro et gemmis conſpicuo, Arcis Londinenſis figuram exprimente, quod in mensa Regia Coronationis tempore exponitur :

7. Curtana, Enſe Clementiae (*the Sword of Mercy*) qui inter duos Juſtitiae Enſes, Spiritualem et Temporalem in actu coronationis praefertur :

8. Pelvi argentea deaurata, ex qua Regina et Regia familia baptizati fuerunt :

9. Alia adhuc majori, quae Carolo II. Regi a Pleymouthenſi Civitate dono data fuit :

10.

10. Reginae diademate (*the Queens Circlet*) , quo caput ad coronationem ducta tegit :

11. Corona , pro Reginae Mariae Wilhelmi Conjugis , coronatione facta :

12. Ejusdem Reginae Orbe et Sceptro Regio :

13. Corona Status , qua Regina Parlamento praeſidens , ornata cernitur . Huic maximi moduli Smaragdus ſeptem uncias in circumferentia habens , Margarita item Orientalis inuſitatae magnitudinis et Rubinus immenſi pretii affixa ſunt :

14. Sceptro ex ebore eleganter confecto , cujus faſtigium columba ornat , quo Regis Jacobi conjux in coronatione uſa :

15. Armillis et Calcaribus aureis , Reginae in Coronationis actu praelatis :

19. S. Ampulla , aquilam repraeſentante , ex puro auro conflata , in qua ſacrum chriſma Regum Angliae Coronationi et unctioni dicatum , cum cochleari aureo , aſſervatur . Quae duo pro antiquiſſimis habentur hujuſce Regni cimeliis.

Inter rariſſima Londini numerandum etiam magnificum illud aedificium in *Moor Fields* , quod pro recipiendis ac cuſtodiendis Maniacis ac Lunaticis eſt extructum ac *Bedlam* ab Anglis appellatur : Pro Regio Palatio primo intuitu hoc potius , quam pro Stultorum ac Furioſorum receptaculo habebis ; nec injuria dixit Gallus ille de Anglorum ſingularibus a Rege ſuo ſciſcitatus : poſſidere Londinenſes Moriotrophium , quod magnificentia vix cederet Pariſienſium Arci Lupariae (*Louvre*): ad

 quod

quod Rex : nae! Angli ingentem ſtultorum ex magnatibus numerum habeant neceſſe eſt, qui in erigendo hoc moriotrophio tam ſumptuoſi fuerunt. Aedificium hoc anno 1676 finitum, et pretio 20000 Librarum Anglic. extructum eſt, quod ſuppeditatum a civibus Londinenſibus. Interiorem aedium partem faciunt duo in inſignem longitudinem extenſa atria, ex quorum latere aegrotantium cubicula. Alitur pro curandis his miſeris Medicus, et accidit non raro, ut intra annum plusquam quadraginta ex hoc loco ſani et curati ſecedant.

Non procul hinc a ſiniſtris in ſuburbio *Hoxton*, Xenodochium publicum cernitur, cujus Auctor fuit *Dn. Ask.* Inſervit hoc ſuſtentationi viginti ſenum pauperum ac totidem puerorum; aedificium nitidum ſatis atque elegans. Reditus hujus Xenodochii ante annos aliquot inſigne habuerunt augmentum ex legatione *Dominae Leade*, Matronae Famigerabilis.

Collegium Medicorum hoc tempore eſt in Warwick-Lane, non procul a Newgate. D. Harveus anno 1652 hoc Collegium Bibliotheca et omnibus ſuis bonis ditavit. Privilegiis gaudet inſignibus per Parlamentum conceſſis. quorum rigore nulli permittitur extero, medicinam Londini facere, niſi poteſtate ab hoc Collegio data, ſigilloque munita. Numerum hujus Collegii facit Praeſes quotannis novus, quatuor Cenſores atque octo Electi, Aſſeſſorum autem quadraginta ſunt numero, quo referuntur Archiatri Regii, qui hoc tempore erant

D. Hannes,

D.

D. Laurence, Emeritus,

D. Lifter, qui Wilhelmi tempore cum Comite de Portland Galliam vifitavit, et breviarium hujus itineris literis confignavit ac typis evulgavit.

D. Hans Sloane, Societ: Reg. Secretarius. fcriptis in publicum editis perquam Clarus, *Catalogo* nimirum *Plantarum*, *quae in Infula Jamaica proveniunt*, *adjectis aliis*, *quae in Infulis Madera*, *Barbados*, *Nieves et S. Chriftofori nafcuntur*. *Londini* 1696 *in* 8. *uti et Hiftoriae illius naturalis Infulae Jamaicae editione*, cujus Tomus primus nuperrime fub fequenti titulo prodiit: *A Voyage to the Ylands Madera*, *Barbados*, *Nieves*, *St. Chriftoffers and Jamaica*, *London*, 1707 *in fol.* Et D. Aburdnet natione Scotus, Principis Georgii Archiater, aft qui reliquis fere omnibus a Regina ipfa et Magnatibus propter dexteritatem fuam praeferebatur.

In Bishop-gat-Street eft *Collegium Greshamenfe*. Hoc ipfum noftro tempore maxime celebratum eft a Societate Regia, quae hic fingulis hebdomadis die Martis, congregatur. Aufpicium habuit fub Carolo II. Rege, circa annum Chr. 1663. Formatur haec ex Praefide, Affefforibus ac Collegis. Thefaurus ille Naturalium, quae in ifto Collegio affervatur, fatis eft curiofus, exceptis praeparatis illis Anatomicis, quae maximam partem nullius funt pretii. Maximam partem naturalium ex utraque India accerfitorum Collegio et Mufeo huic *Daniel Colwal* donavit. Catalogus omnium anno 1687 in fol. prodiit, fub titulo: *Mufei Societatis Regiae*, *auctore Nehemiæ Grew*,

Grew. Erat meo tempore Societatis hujus illuſtre membrum *Dn. Woodward*, Medicinae Doctor et Practicus, vir in Naturali Scientia ad ſtuporem verſatus, de quo vel Geographia Phyſica teſtari poterit, quam nuperrime edidit, et quae interpretem in Helvetia *Dn. D. Scheuchzerum*, Amicum noſtrum adepta eſt. Poſſidet *Dn. Woodward* theſaurum incomparabilem ex Mineralibus et Conchyliis petraefactis, quae partim in Brittania ipſe collegit, partim etiam egregie auxit, comparatis ex omnibus fere Europae angulis Mineralium rariorum et Conchyliorum petraefactorum exemplaribus. Bibliothecam etiam habet ſelectiſſimam librorum Phyſica et Medica tractantium. Antequam Collegium hoc relinquam, non poſſum quin memorem *Dni D. Hans Sloane*, qui Secretarii munere in illuſtri Societate quidem fungitur, aſt longiſſime remotus ab hoc Collegio in *Southamptons-Square* aedes proprias inhabitat. Dici non poteſt, quantum apparatum Exoticorum Naturalium omnis generis Excellentiſſ. ille Vir poſſideat, quae partim ipſe collegit et ſecum ex Occidentali India apportavit, partim ex liberali B. Anteceſſoris ſui legato acquiſivit. Inter rariora erant ova Teſtudinum, in littore Jamaicenſi Americae ab ipſo reperta. Monſtravit mihi etiam lagenulam vitream, quam in littore Maris Mediterranei caſu invenit curioſus nauta: obducta haec erat circumcirca fere Corallio albo, jucundo et curioſo ſpectaculo, quod de modo generationis marini hujus concreti inſignem curioſis naturae ſcrutatoribus foenerari lucem poteſt: nihil autem diſ-

fe-

ferebat lagenula ab illis, quae hodienum recipiendis vinis Hispanicis ac Canariensibus inserviunt (eine rechte schwartz-grüne rundte Secc oder Frontignac Bouteille). De Bibliotheca *Dni D. Sloane*, quae in Medica Scientia nullam Londini habet parem, nihil jam dicam; laudata mihi haec fuit a *Dno D. Hudson*, Oxonii, qui libros Medicos in Bibliotheca Bodlejana deficientes, apud *Dn. D. Sloane* Londini, in instructissima ejus inveniri, fateri non dubitat.

Aliud Ornamentum atque insigne Decus habet nunc Medicorum et Chirurgorum Londinensium coetus, *D. Cyprianum*, qui ex Hollandia Wilhelmi tempore ab Archiatro Regio Dno Millington accersitus, inclytis curationibus, in specie autem Calculi sectione famam et opes sibi acquisivit brevi tempore ad invidiam usque magnas. Primus in Anglia, qui Curae atque operationi ejus se subjecit, Collegii Medici Londin. Praeses et Archiater Regius, de quo jam dixi, tunc plusquam sexagenarius, fuit, quem a calculo praegrandi tunc felicissime liberavit. Atque ita fieri aliter non potuit, quam ut ab eo tempore per ingentem quasi saltum, ad summum gloriae gradum in professione sua pervenerit. Notus de caetero illustris hic vir ex inaudita sectione Caesarea, quam ante aliquot lustra apud Batavos insigni cum laude administravit, ubi in foemina viginti et unum menses gravida, non ex utero, sed ex uteri Tuba, foetum jam putrescentem cum secundinis totum extraxit, atque a misera matre evidentissimum; vitae periculum inusitato exem-

exemplo avertit. Integram Hiſtoriam peculiari Epiſtola ipſe publicavit *Auctor Lugd. Batav.* 1700. Miratus ſum Excellentiſſimi hujus Chirurgi ſingularem humanitatem atque modeſtiam, rarum in hoc genere Heroum contingens. Apud pleroſque enim alios Anglorum et Batavorum Chirurgos Operatores, neſcio quam morum aſperitatem obſervare licuit, quam continua manuum cruentatione atque neceſſaria erga patientes crudelitate, in adminiſtrandis operationibus contrahere praeter intentionem, mihi fere videntur. Londini curioſa antequam relinquam, paucis mihi mentio facienda Bibliothecae illius, quae in ſuburbio Weſtmonaſterienſi, prope magnificum illud et perantiquum aedificium, Weſtmunſter-Hall appellatum, in peculiari Sacello aſſervatur, et *Cottoniana*, a fundatore *Rob. Cottono*, appellatur. Conſiſtit haec in Manuſcriptis rariſſimis et antiquiſſimis, praeſertim illis, quae Hiſtoriam Angliae Eccleſiaſticam et Politicam concernunt. Videbis hic etiam fragmentum S. Evangelii Graecum literis auro et argento pictis, antiquo et pretioſo ſcribendi more, exaratum: Librum Geneſeos idiomate Graeco itidem ſcriptum, qui pro antiquiſſimo totius Europae Manuſcripto a Curioſis aeſtimatur; Ut nihil dicam de inſigni illo, quem haec Bibliotheca poſſidet, Idolorum Veterum Romanorum, numiſmatum item Anglicorum et Palaeo-Saxonicorum theſauro. *Catalogus* hujus Bibliothecae prodiit *Oxoniae in fol. anno* 1696 *auctore Thoma Smitho*.

Non procul Londino, in diſtrictu illo, qui

ad Weſtmonaſterienſe ſuburbium adhuc refertur, delectatus ſum viſitatione magni illius Xenodochii, quod ab adjacente vico *Chelſey*, *Chelſey Hoſpital* appellatur, et a Carolo II. in ſolatium Militum laeſorum vel exauctoratorum fundatum fuit, in cujus memoriam quoque ſtatua Regis Caroli ex aere conflata, in medio areae poſita, cernitur. Aedificium hoc magnificum opus eſt, tanto fundatore dignum; Habet Sacellum cum duobus Diaconis, Medicum etiam, et Pharmacopoeum. Alit autem quadringentos et ſeptuaginta ſex milites emeritos, exceptis Locum tenente et reliquis officialibus in commodum Alumnorum conſtitutis; pro ſalario dictorum officialium, famulorum famularumque, tria millia librarum quotannis conſumuntur.

Inter publica loca numeratur etiam Pharmacopoeorum Londinenſium Promptuarium, *Apothecari-Hall*, non procul a Ludgate ſitum. Ducebat me in hunc locum *Dn. Godfried*, qui Promptuario huic quondam erat praefectus, jam autem in alia urbis parte, *Common-garden* appellata, domicilium collocavit. Ex hoc Promptuario omnes Pharmacopaei ſua comparare ſimplicia, imo et praeparata chimica, neceſſe habent. Occaſione diſcurſus noſtri multum mihi narrabat *Dn. Godfried* de B. Boylaei in Chymicis curioſitate, cui etiam quondam multum operae in ejusmodi laboribus, praeſertim in praeparando Phoſphoro ſuo, locaſſe aſſerebat. Dicebat mihi de ſtanno Anglico, bonitatem ac praerogativam ejus deberi regulo antimonii martiali, cupro ac biſmutho, quae ad juſtam pro-

proportionem mixta, ſtannum optimum in-grederentur; Biſmuthum autem huic mixturae inſerviens omne ex Saxonia noſtra huc tranſportari, nec in Angliae fodinis idem facile reperiri fatebatur.

Per laudatum *Dn. Godfried*, alium quendam frequentare licuit Chymicum, qui Pariſiis quondam per aliquot annos commoratus fuit. Commemorabat iſte inter mutuos diſcurſus, quos de *Venenis* occaſio ſuggerebat, ſibi aliquando ab Italo quodam Lutetiae degenti, arcanum, praeparandi praeſentiſſimum venemum, proceſſum patefactum fuiſſe, cujus fundamentum ſequentia requirebat plusquam Barbara poſtulata: Miſero homini ad patrandum facinus aere conducto exhibeantur per aliquot ſeptimanas loco alimentorum nil niſi ſaccharata, ut lympha et ſalivae fontes ſeptica virulentia probe imbuantur: his ſubſtituatur ultimis diebus conſerva Roſarum, cui parciſſima Mercurii ſublimati portio admixta fuerit, quo facto brevi temporis ſpatio ad ſalivationem diſponetur vivens illud venificii ſubjectum; ſaliva fluente, applicandae hominis illius Parotidibus et cavitatibus ſub axillaribus Viperae, quarum applicatione prius non ceſſandum, quam probe vexatus ab his miſer intumeſcere incipiat, ſaliva Venenata interim ex ore et faucibus copioſius erumpente, quae in vaſculo ſolicite colligenda et ad uſum ſervanda. Coëunt ſic in unum concretum, pravorum et corroſivorum hominis humorum ſentina, Mercurii ſublimati virulentia, et Viperarum venenum, quale magna ad perpetranda certiſſimi eventus ſcelera efficaciſ-

ciſſimum eſſe, nullus dubito. De caetero fatebatur peritiſſimus ille Chymicus, ſalvari interdum homines illos, Veneficii viva inſtrumenta, a Viperis demorſos, et id quidem ipſius ſalivationis ope, quam propinatis ſalutaribus e lignis decoctis moderari norunt, atque in ſalutem vergere faciunt Sicarii illi Venefici. Multa hic pro aſſerenda nefandi hujus proceſſus fide ex Phyſica et Medica doctrina adduci poſſent, niſi res in ſe ipſa maxime deteſtabilis manum de tabula removere juberet. Hoc ſaltem tacere non poſſum, quod non ita pridem de venenatis qualitatibus ſalivae ex conſveta mercuriali ſalivatione promanantis, obſervavi: Canis Domino ſuo admodum fidelis et charus, ſitibundus, ex defectu aquae limpidae; caſu in liquorem illum in vaſculo quodam collectum incidit, qui ex Domini ſui tunc ſalivantis ore recens prodierat, quo avide exhauſto, protinus vertigine et convulſionibus corripitur atque in terram concidit mortuus. Si tanta ſalivae Mercurialis malignitas, quid de illa expectandum, quae veneno viperino maxime fermentifico et lethali erit impraegnata?

De Reginae M. Britanniae hodie Regnantis ſtatu ut pauca etiam adjiciam, quantum mihi quidem videre licuit, eſt ille certo longe ſplendidiſſimus. Triplicem vidi in Aula ejus Comitatum Militarem: Primum quidem Equeſtrem, *the Horſe-Guarde*, qui Reginam peregre proficiſcentem ante et poſt currum comitari ſolet, atque ex his Equitibus duo ſemper ſub introitu Aulae Regiae, quae *St. James* appellatur, gladiis denudatis equis inſidentes,

tes, excubias agere ſolent: alterum Pedeſtrem, *Helvetorum habitu* incedentem, ſcarlatinis veſtibus auro diſtinctis et halebardis deauratis inſtructum: tertium ex Magnatum filiis conſtantem (*the Gentlemans Guarde*) qui in Reginae atriis tantum, haſtis brevioribus muniti ſplendidiſſime veſtiti, duplici ſerie locati, officium faciunt. Ex Clericis ſingulis menſibus bini, Diaconorum more, Reginae ſerviunt. Communiter admodum juvenes hi ſunt, nec ab Archi-Epiſcopo, ſed a Magnatibus Reginae proximis, Eidem praeſentantur. Multum hoc Sacerdotale Γέννημα indulgere juventutis genio aliquando ſolet, et accidit Caroli II. tempore, quod unus ex ejusmodi Diaconis Regem venatum curſantem equo vectus ſecutus fuerit; Rex miratus Clerici hujus curioſitatem, quendam ex comitatu Nobilem interrogavit, qualis hic? qui Regi ſtatim reſpondit: *Sir, th'is Your Majeſty Jagt-Capellain*. De ſtatu Eccleſiaſtico in Anglia alias notum ſatis, eundem fere ad faciem Romano-Catholicorum eſſe conformatum, ac reditibus ſatis ſufficienter inſtructum, quod tamen de ſuperioribus, Epiſcopis puta ac Canonicis e. g. potiſſimum intelligendum: inter Parochos enim Provinciales tanta ut plurimum obſervatur paupertas, ut vitam miſerrime ducant; cui malo atque indigentiae Cleri ut ſubveniret Regina, argentum illud omne, quod ipſi ex officiorum publicorum diſtributione redire ſolet, miſero Clero perpetuo legavit, quod ſexies mille librarum ſummam quotannis facile conficit. Aſt dolent egentes Parochi, majorem horum redituum

tuum summam possidere ad hunc usque diem Pellicum Regiarum incolumem numerum, quibus ex Caroli II. et Wilhelmi liberalitate hic census in salarium ad dies vitae cessit. Nolentes volentes igitur Parochi expectent necesse est, donec debitum Pellices illæ naturae solvant, et aliud salarium a Carolo in altero mundo obtineant. Redit hic in memoriam *Dna Cleveland*, Pharmacopoei Parisiensis filia. Haec Caroli II. tempore Parisiis Londinum veniebat, ut Regis manu a scrophulari malo, (*from the Kings Ivil*) quo laborabat tunc, liberaretur. Hujus Pulchritudo inter tangendum, adeo Regem fascinabat, ut ipsam postea Ducis praerogativa et titulo, praetereaque centum librarum reditu menstruo donaret. Clementiorem adhuc Regem Carolum experta est *Dux de Portmouth*, cui inusitato exemplo Rex mille librarum summam erogavit singulis mensibus, quantum, nec plus Regina ipsa Maria Wilhelmi Conjux, a Rege et Parlamento, ut Aulae ejus sumptibus sufficeret, olim obtinere potuit.

Verum quousque divagor? Ordo jam postulabat potius, ut de Cathedrali Londinensium Templo D. Paulo dicato, Palatiis Regiis, Curiis ac centum aliis notatu dignis urbis hujus commemorarem, nisi institutum meum me in his talibus diffusiorem esse vetaret, praesertim cum non deficiant Auctores Topographici antiqui ac hodierni, qui Londini rariora eleganti atque accurata descriptione prosecuti sunt, quos inter *Coulon dans sa description de l'Angleterre*, *Jouvin*

de Rochefort dans son Voyage d'Angleterre, *Dn. Chamberlain in the Present State of England*, et qui novissime de Londinensi urbe in specie scripsit anonymus quidam sub titulo: *A New View of London apud Joh. Nicholson*, 1708. 8. De stupendo tamen Templi Paulini aedificio non possum quin paucis saltem moneam, ad perfectionem hoc nondum quidem esse perductum, quamvis in perficiendo illo a quinquaginta fere jam annis occupatus fuerit ingens artificum atque opificum numerus. Spem tamen esse affirmabant plerique Londinenses Cives, intra quinquennium ut ultimam experturum sit manum opus hoc admirandum, ad quod nec Ephesii illud Delubrum, nec quicquid Romana manus et tot seculorum ingenia praestiterunt, comparanda sunt.

Londino, mense Novembris *Oxonium*, plusquam sexaginta leucas Anglicas hinc distans, me contuli, Bibliothecam praecipue, Hortum et Collegia hujus Universitatis perlustraturus. Habet autem Oxonium, uti notissimum, Academiam, si Collegia et Bibliothecam spectes, incomparabilem, si studia ibi florentia, nulli per totam Europam secundam. Numerantur Collegia hujus Universitatis octodecim, omnia reditibus liberaliter admodum instructa, quae inter eminet *Collegium Corporis Christi*, quod incredibilem argenti summam ex fundo suo quotannis capit. Systaticas habebam ad *Dn. Hudson* t. t. Bibliothecarium, a quo perquam humaniter exceptus et perlustrandi Bibliothecae arcana occasionem nactus sum exoptatissimam.

As-

Aſſervatur haec Bibliotheca in Collegio Univerſitatis, (*Univerſity Colledge*) fundata ante hos centum et quod excurrit annos; a *Thoma Bodley of Exeter*, *qui Caſaubono teſte Ep.* 745. 200000 libras Gallicas pro extruenda hac erogavit. Huic *Seldenus* Bibliothecam ſuam exquiſitam teſtamento legavit: *Wilh. Ladus* autem Archi-Epiſcopius Cantuarienſis et alii poſt adauxerunt. Stupebam incredibilem librorum apparatum, ordinem elegantem atque aedificium tanto Theſauro recipiendo maxime accommodatum. Miraberis hic libros in majori forma, et ut vulgo loquimur, in folio omnes catenis ferreis eſſe alligatos, utpote qui in inferiori regione, quae omnibus patet, in armariis ſuis diſpoſiti ſunt: Reliqui minoris formae, in pergulis ſuperioris et mediae loci regionis locati ſunt, ad quas gradus et ſcalae ducunt peculiaribus valvis occluſae, et quas adire nulli extero jam amplius conceditur, ob frequentiora furta, quae hac occaſione a male moratis facta quondam fuerunt. In ſuperiori contignatione ipſius aedificii ſpatioſiſſimum eſt ambulacrum, ex utroque latere iconibus Virorum illuſtrium exornatum, quas etiam *Dn. Hyde Catalogo Bibliothecae Bodlei. Oxon. e Theatro Scheldon.* 1674 *in fol.* vulgato, inſeruit. Sub Thomae Bodlei effigie leguntur haec verba: *Hoſpes rogatus ſiſte, Bodleumque loci genium et Muſarum Maecenatem ultra Caeſares Auguſtum, qui Bibliothecam molemque hanc ſtupendam condidit, intuere. Hoc volebam, neſcius ne eſſes. Vale!* In eodem hoc ambulacro aſſervatur etiam Nummophylacium, atque inter rario-

riora ejus *exemplar librae Anglicanae*, quae argentea eſt moneta in forma quadrae, cum effigie Caroli I. ſtatuae Equeſtris, anno 1642 cuſa. Interrogavi poſtea Dn. Hudſon, *de Rob. Baconis Manuſcriptis*: an adſit illud, *quod Theatrum Naturae* inſcribitur; aſt licet Bibliothecarius ipſe in catalogis ac ſcriniis Manuſcriptorum ſedulo quaereret, nec tamen inveniebatur, putabat autem rapacem manum abſtuliſſe hanc Manuſcriptor. Baconianorum partem, quales antehac ſatis frequentes habuiſſent. Quaerebam inter impreſſos codices *Petri Arlenſis de Scudalupis Sympathiam Septem Metallorum ac ſelectorum lapidum ad Planetas*, et quidem editionem illam, quae Madriti et Romae, ante corruptam illam Pariſienſem quam de An. 1610 in 8vo habemus, in fol. primum prodiit, et cujus apographum in Germania apud Virum quendam Clariſſ. olim offendi, ſed fruſtra: item *Aſuerii* cujusdam *Icones Viror. illuſtr.* aſt cum eodem ſucceſſu. Querebatur, quod mirabar, *D. Hudſon* quod ſumptus non ſuppeterent pro coëmendis novis ac aliis, qui deficerent in hac Bibliotheca, libris, cum tamen quotannis, ut ipſe fatebatur, ex legatis, atque aliis Curioſorum donis magna fiat fundo hujus Bibliothecae acceſſio. Adornabat jam ipſe novum Bibliothecae catalogum, priori, quem *Dn. Hyde* ut paulo ante recenſui, edidit, auctiorem. Dicebat etiam in Theatro Sheldoniano ſub prelo jam ſudare *novam Livii editionem* ex Manuſcriptis Bibliothecae, aliquot decadibus, quae hactenus pro deperditis habebantur, adauctam, Praeter Bibliothecam viſi-

ſitavi frequentius Oxonii *Hortum Academicum*, cui jam praeeſt *Dn. Bobart*, Botanicus inclytus, Vir Humaniſſimus. In limine Portae leguntur ſequentia: *Gloriae Dei Optimi, Maximi, Honori Caroli Regis, in Uſum Academiae et Reipublicae* 1632. *Henricus Comes Danby*. Refertus eſt is Hortus plantis indigenis juxta atque exoticis omnis generis. Ex rarioribus mihi monſtravit *Dn. Bobart* ſequentes:

Sorbum veram, qui foliis et flore cum Sorbo Aucuparia fere convenit, fructu autem gaudet plane diverſo, utpote qui pyriformis eſt, arillis inſtructus, caro fructus eſt inſtar meſpilorum. Naſci hanc arborem in unico Angliae loco ſylveſtri, *Wuſtorshire* appellato, ex quo haec ſpecies in hortum tranſlata, affirmabat.

Helianthemum, flore pentapetalo, coloris incarnati.

Scyllam veram, quae florem habebat hexapetalum ſtamineum fere.

Teucrium Boëticum.

Arborem Balſami Peruviani, quae eſt ſpecies Abietis, qua cum, foliis et conulis perfecte convenit, odore autem fragranti et ſuavi longe antecellit. Genita fuit haec arbuſcula duos cubitos jam alta, ex ipſis conorum granis, *Dno Bobarto* quondam ex Mexicana Colonia transmiſſis, ſeptem annorum ſpatio.

Cedrus Vera ex monte Libanon foliis ſtellatim diſpoſitis abiegnis fere, ibidem ex ſemine producta.

Piſtacia Vera, juglandis folio, fructu nuciformi.

De caetero mirabar in hoc Horto ingentem Taxi copiam, ex qua integras ſtatuas concinnatas vides, quales duae illae ſub introitu Horti conſpicuae, ſexu diſtinctae: altera enim ſpecies baccam fert monopyrenam, coloris miniacei, altera vero ſterilis eſt. Multum commendabat *Dn. Bobart* in diſcurſu ſuo *Clariſſ. Rivini* noſtri methodum Botanicam, et de *Dno Sherard* Anglo Botanico accuratiſſimo, quem Lipſiam tranſeuntem anno 1698 vidi, mihi narrabat, eum jam Smyrnae in Aſia degere ibidemque Conſulis Anglicae nationis munere fungi.

Habebam etiam Literas ad *Dn. Edwardum Lhuyds*, Muſei Ashmoleani Inſpectorem: et licet ipſe non adeſſet, tamen per famulum monſtrabantur mihi Muſei rariora. Eſt autem hoc in egregio illo aedificio, non procul a Theatro Sheldoniano diſſito, quod anno 1683 ſumptibus Univerſitatis erectum, ac Laboratorio Chemico et Bibliotheca praeter dictum Muſeum, ſumptibus Univerſitatis, auctum fuit. Portae limini ſequentia literis majoribus inauratis inſcripta:

Muſeum Ashmoleanum, Schola Naturalis Hiſtoriae, Officina Chymica.

Muſei hujus fundator fuit *Elias Ashmol*, inſigne accepit augmentum ex haereditate *D. Rob. Huttington*, qui multas poſſedit quondam antiquitates Aegyptiacas, itemque *Martini Liſteri*, qui inſigni rerum Naturalium theſauro hoc muſeum ditavit. Viſu digniſſima etiam eſt Mumia illa integra Aegyptiaca,

qua

qua *Dn. Aaron Goodyear* nuperrime Naturalia hujus Gazophylacii auxit.

Proxime, ut jam dixi, adjacet huic Museo *Theatrum*, quod nomen *a D. Sheldon*, Archi-Episcopo Cantuariensi, obtinuit. Accuratissimae architecturae exemplar ac solidissimum aedificium hic vides, in usum exercitiorum Academicorum, una cum typographia consummatissima, tempore Caroli II. Regis, extructum.

In perlustranda Bibliotheca et Collegiis Oxonii octiduum fere consumpsi, multo honore a *D. Hudson* mactatus, qui Literis ad *Dn. D. Sloane* Londinum concreditis, me dimisit, atque ita per eandem, qua Oxonium ivi viam, *Londinum* repetii, ibidemque tres adhuc hebdomadas commoratus, tandem reditum in Hollandiam meditatus sum. Ante autem, quam hunc auspicarer, saepius mutuo colloquio et conversatione Theologi cujusdam Evangelicae Religioni addicti, Angliae per triginta annos hospitis, cui per Amicos in patria commendatus fueram, frui licuit.

Ducebat me aliquando is ipse secum ad Mercatorem in civitate non procul a Monumento habitantem, ubi vasorum ex terra Chinensi confectorum (*Porcelain*) incredibilem copiam et selectissimum vidi apparatum. In transitu visitavimus viduam ex Lithuania per Dantiscum nuper reducem, quae uxor quondam fuerat Viri cui nomen *Ramsoe*, ex Lithuania quidem oriundi, ast qui Londini diu antequam patriam repeteret, commoratus fuerat, Ludimoderatoris munere functus.

Hic *Ramſoe* intimae admiſſionis apud *Dn. Boyle* quondam fuit propter Linguae Latinae peritiam, quam ſuos in uſus convertit Illuſtris ille Vir, et huic, tandem amanuenſi, pleraque operum ſuorum Phyſicorum ex Anglica in Latinam vertenda concredidit. Tantum enim, uti notum, haud valebat in latinis Illuſtris ille Philoſophus, ut proprio marte Latio ſermone ſua proferre potuerit. Memoratus *Ramſoe* autem, poſt *Boylei* obitum, vel patriae amore ductus, vel non inveniens amplius Londini unde viveret, cum hac uxore ſua, natione Scota, in Lithuaniam transmigravit, et Cavenae, oppido ad Crononis, ſ. Nemeni littus ſito, Rectoris munus in Ludo coetus Evangelici, in ſe ſuſcepit. Poſt mortem ejus vidua noſtalgia laborans, Londinum repetiit, ſupellectilem librariam et Manuſcripta defuncti mariti ſecum advehens, quae Amicus iſte et ego perluſtravimus, licet tanti non eſſent, uti nobis quidem promiſeramus. Inter ambulandum in via varios nectebamus diſcurſus: Affirmabat Amicus meus, verbum Perſonae S. S. Trinitatis nullibi in Script. S. inveniri, nec approbare volebat *Dn. Edzardi* Paſtoris Eccleſiae Svecicae Londin. opinionem, qui in veteri Codice, pro Perſonae nomine, Faciem ſemper ſtare putat; nec concipere ſe animo poſſe aſſerebat, quomodo λόγος aeternus, ſi ſecunda S.S.Trinitatis perſona ab aeterno fuiſſet, in utero B. Virginis unam ſolum numero cum Humana Natura in Chriſto perſonam conſtituere potuerit: tunc autem bene Salvatorem noſtrum Perſonam appellari, cum in ſtatu illo, quo in hoc mundo com-

pa-

paruit, consideretur. *De statu animarum post mortem* asserebat, illas in loco tertio πα Beatorum aut Damnatorum asservari, fortassis etiam peccato Originis adhuc inquinatas, alias de Lazari anima non constaret, quomodo illa reverti in pristinum corpus potuerit: absurdum esse, allegari in contrariam sententiam dictum illud Apocalypseos S. Johann. *Beati mortui in Domino Morientes*. Hoc enim de felicitate Ecclesiae et fidelium certae cujusdam atque significatae a Divo Johanne periodi intelligendum esse. *De variis Lectionibus N. T.* ita statuebat, selectum esse servandum in his, et sua opinione parum laudis mereri illos, qui has acumularent atque augerent adhuc quotidie: quod ad versus integros attineret omissos, facile accidere potuisse, quod amanuenses supplementa ex aliis Manuscriptis fecerint, imo forte et adhucdum Manuscripta Novi Foederis inveniri, in quibus Evangelistae et Apostoli ipsi, curis secundis dicta quaedam annotassent, in aliis haud invenienda. Evangelium in omnibus mundi partibus et angulis publicatum esse, persvasus erat, quin et plerosque Paganorum sub aenigmatis suis et fabulis, verbi revelati vestigia habere certum esse putabat. De variis in Anglia sectis et Enthusiasmo differentibus, mentio incidebat *Quirini Kuhlmann*, Enthusiastae notissimi, qui ante annos aliquot in urbe Moscovia cum sodali suo igne punitus est. Hic jam Jacobi II. tempore in Anglia fuit, et sub Regni ejus auspicio ipsi integrum de Chiliasmo Tractatum tradidit. Paulo post in Hollandiam delatus, insignem ibi vexillorum

nu-

numerum conficiendum curavit, quae Sacris Chiliaſtarum expeditionibus quondam inſervitura prodidit; praeterea blaſpheme admodum docuit, ſe certiſſimum eſſe de Uxore ſua, quod novum Meſſiam in utero gerat. Et quod eo ipſo Patris Regnum in terra, aeque ac Filii, brevi futurum ſit. Quod hac occaſione meminiſſe conſultum duxi, quia plures in ea opinione fuiſſe mihi certo conſtat, ut putarent, *Kuhlmannum* ſumma injuſtitia a Ruſſis tam atroci poena affectum fuiſſe.

De Chroniſmis Anglorum, occaſione Regicidii injiciebat etiam quaedam Amicus meus: Pauciſſimis notum, Anglos in publicis monumentis ac ſcriptis ſuis anni principium non primo January, ſed ipſo Feſto Annunciationis Mariae ponere. Ita certum eſt, Regem Carolum d. 30 January 1648 ſecuri fuiſſe percuſſum, licet in Angliae annalibus annus 1647 allegetur. Sciſcitabar etiam *de Penſylvania*, an ipſi notum eſſet, quod Collegium ibi Adeptorum degeret? quod negando refutabat: Se ipſum, inquiens, curioſum ſemper fuiſſe in detegendo illo Collegio, nec unquam tamen per literas, neque per amicos ex *Penſylvania* reduces, quicquam certi de hoc tali comperire potuiſſe: Statum alias incolarum Penſylvaniae non adeo eſſe felicem, ac ſibi perſvaderent exteri: maximam eorum occupationem conſiſtere in agricultura: multum enim terrae pro levi pretio aſſignari advenis, quod tamen non ſolum ipſi colere deberent, ſed etiam contra irruptiones ac devaſtationes Barbarorum haud ſatis tutum haberent. Omnes illos, qui famoſam hanc coloniam petiiſ-

ſent

ſent ſuo tempore, maximam partem fuiſſe Fanaticos, Ardeliones, quibus patria vel ob laboris taedium, vel ab alias rationes exoſa: nec ex aliis Europae partibus, ſigillatim Germania, defuiſſe ejuſmodi curioſos, qui relatione aliorum decepti, Paradiſum hunc adire flagraverint. Qualis intempeſtiva curioſitas nuper ſaltem prudenti conſilio *Domini Kirchneri Regis Polon. et Electoris Saxoniae in aula Reginae M. Britanniae* Legati Reſidentis, impedita fuit, contra quarundam ex Saxonia noſtra oriundarum familiarum intentionem, quae transfretationem in Penſylvaniam cum univerſo ſuo peculio ſibi propoſuerant, et jam in eo erant, ut ſalvum conductum a Regina peterent. Optarem, ut occaſione hujus relationis, qua *Dni Kirchneri* mentio facta, Illuſtri huic Viro, elogium publice aſt appoſite etiam tribuere poſſem. Sed extant atque extabunt ejus merita in ſeculum duratura: mihi ſufficiat hic meminiſſe, tantum ipſi pro innumeris in me Londini commorantem beneficiis collatis me debere, quantum ſolvendo vix unquam futurus ſim.

Ex Anglia jam, nummariis teſſeris literiſque ſyſtaticis ante transfretationem a *Dn.* *Oliver*, Mercatore Londinenſi, cui pro inſigni, qua mihi adeſſe ſemper voluit, humanitate aeternum devinctus ero, inſtructus, primo Decembris die in *Hollandiam* redux, ſtatim *Roterodamum* me contuli. Ibi ab inſigni transfretationis taedio, quod per quatriduum fere, ventis atque impetuoſis maris fluctibus curſui noſtro adverſum tenentibus, ſuſtinere debebam, laſſatus, per aliquot dies commoratus

ſum.

ſum. Hinc Lugdunum perrexi, ubi literas Londini mihi concreditas Excellentiſſimo D. Albino tradidi. Jucundiſſima mihi Medici hujus conſummati memoria. Dici enim non poteſt, quam amice atque humaniter exceperit me plane ignotum. Monſtravit mihi theſaurum ſuum ex Materia Medica et Naturalibus conſtantem, atque inter ſermones mutuos commeminit radicis *Genſing*, cujus vegetabilis exotici inſignem poſſidebat copiam, et hanc quidem ex liberalitate Regis Boruſſiae, ad cujus juſſum experimenta de viribus, diverſa ratione ac modis inſtituit, quibus tamen omnibus nihil aliud elicuit, quam quod nuda earum manducatio exſerit, easdem ſcilicet fere cum rapis paſſis noſtris harum eſſe vires. Vidi apud eundem aliquot ſic dictas *Viperas Melitenſes petraefactas*, de quibus notum quod omnes capite careant. Scilicet quondam pro viperis petraefactis habebatur concretum hoc lapidoſum: Et pie credebant ſuperſtitioſi quidam a D. Paulo olim omnes viperas Melitae inſulae, in ſaxeam ſubſtantiam, demptis capitibus, ob damnum et morſum ipſi intentatum atque inflictum, pro vindictae perpetuo teſtimonio, transmutatas fuiſſe. Poſtquam autem *ingenioſiſſimus Scilla Italus* in tractatu ſuo, *La Vana ſpeculatione disingannata dal ſenſo*, inſcripto, ſicuti de aliis pluribus, ita et de his putatitiis Viperis vulgarem errorem demonſtravit, quod ſcilicet male pro petraefacta Vipera habeatur, quod certi Conchylii, Tubularia dicti, per ſuccum quendam lapideſcentem ita transmutati, potius genus ſit., nemo amplius veterem illam

de Viperis Melitenſibus petraefactis capite carentibus fabulam defendere audet. Vid. *alleg. auctoris tractatus tab.* 12. *ubi foſſile hoc Tubulus marinus petraefactus appellatur*. Habet etiam *duas digiti Humani articulationes petraefactas*, in quibus omnes apophyſes accurate adhuc expreſſae cernuntur. De Diluvio Univerſali eandem cum *Dno Woodward* Anglo, opinionem fovet, eo nimirum totam globi Terraquei ſuperficiem fuiſſe diſſipatam, deſtructam ac discontinuatam, indeque ortos montes, ante diluvium haud extantes.

Aliquoties etiam viſitavi *Dn. Muſchenbroeck* Celeberrimi noſtri temporis Mechanici aedes et officinam inſtructiſſimam, ejusdemque apparatum inſtrumentorum ad Phyſica experimenta et Chirurgiam facientium ſedulus peruſtravi, quorum catalogum una cum pretio hic inſerere operae pretium duxi.

Catalogus Inſtrumentorum, quae apud Joann. van Muſchenbroeck veneunt Lugdun. Bat. 1707.

	fl.	st.
Magna Antlia Pneumatica cum omni apparatu —— ——	600:	——
Parva —— ——	225:	——
Alia forma —— ——	187:	——
Fons Vitreus —— ——	7:	——
Ad experimentum pro Reſpiratione	4:	——
Aeolipila —— ——	4:	——
Sipho anatomicus cum 8. *tubulis et clave* —— ——	18:	——
Siphunculus cum duobus flexilibus tubis	7:	——

Sex

	fl.	ſt.
Sex Tubi ad Transfuſionem Sanguinis	2:	—
Tubulus Cupreus ad inflanda vaſa	—:	15.
Tubulus Ferreus ad Mercur. injic.	1:	—
Tubulus cum Valvula	4:	—
Inſtrumentum ad os Caniſclaud.	4:	—
Styli Cuprei variae magnitudinis	—:	2
Inſtrumentum ad oſſa perterebr: cum ſex terebris	7:	10.
Microſcopium Univerſale	18:	18.
Particulare	15:	15.
ad circulat. Sangv. vid.	7:	10.
Catheter flexilis argenteus	5:	15.
Catheter non flexilis argent.	6:	6.
Catheter Cupreus	1:	16.
Catheter pro Foeminis	1:	4.
Inſtrumentum pro Paracent. argent.	5:	—
cupr.	2:	10.
Clyſter ad ſibi ipſi Clyſma injic.	10:	—
Tabacalis	5:	—
Subligacula pro Herniis retinendis		
pro Viris	9:	9.
pro Juvene	6:	6.
pro Infante	4:	—
Plicabilia	12:	12.
Inſtrumentum ad Urinae incontinentiam praecavendam et ſanandam	2:	—
Vitrum ad Valvulas Plantarum	14:	—

Omnis denique generis Inſtrumenta ad reſtituendos male formatos Pedes, Dorſum, Spinam, Collum.

Lugduno, viſis Horto Medico et Muſéo (quorum cum accuratus in manibus omnium ſit catalogus, recenſione eorum chartam inuti-

tiliter onerare nolo) *Amsterodamum* contendi, ibidemque *D. Kustero* literas a D. Hudson Profess. Oxon. ad ipsum perscriptas, tradidi. Vir hic Clariss. Graecarum literarum ad stuporem doctus, qui *Svidae* editione inclaruit, jamque in aliis edendis Graecis Autoribus occupatus est, perquam humaniter me excepit. Laudabat Anglos eorumque in eruditos amorem atque existimationem plane singularem; imprimis Cantabrigiensem Academiam multum celebrabat, ac dolebat, quod se ex illa quondam Berolinum avocari passus fuisset. Memorabat inter colloquendum, quod Medicae Arti me consecratum pernosceret, *ligni* cujusdam, quod igne admoto nec flammam concipere, nec in carbonem vel cineres redigi posset, sed, quod mirum, instar ferri saltem excandesceret: Hujus frustum nuperrime se hic Amsterodami apud Curiosum quendam virum mercatorem vidisse, admodum porosum externa facie, possessorem autem ejus asseruisse, esse lignum ex Larice in littore maris Adriatici crescente. Nullus dubito Lignum hoc incombustibile fuisse idem illud, cujus, post meum ex Hollandia abitum, *Clariss. Dn. Johann. le Clerc dans la Biblioth. Choisie Tom. XII artic.* 2 *et Tom. XIII artic.* 6 *anno* 1707 *impress.* meminit, ubi etiam possessorem nominat *Mons. de Baris. Nation. Batavae in urbe Sevilia quondam Consulem*: qui non ex Italia quidem, sed ex dicta urbe Andalusiae metropoli ligni frustum secum Amsterodamum apportavit; de quo ipso autem laudatus Dn. le Clerc non sine ratione judicat, esse speciem illius ligni cujus *Vitruvius L. II. c.* 9. atque

ex hoc *Plinius Hiſt. Nat. L. XVI c.* 10 itemque *Palladius L. XI c.* 15 mentionem fecerunt, et pro ligno Laricis, circa ripam fluminis Padi et littora maris Adriatici naſcentis, habuerunt. Notae et qualitates characteriſticae hujus Ligni, quas l. c. recenſet *Dn. le Clerc*, ita comparatae ſunt, ut de lignoſa ſubſtantia ejus dubitari nequeat. Propria ejus de his verba ſunt ſequentia: *C'eſt un bois, qui ſe coupe aiſement, qui ſe rompt méme, et qui ſe caſſe ſans peine, ſur tout lors qu'il a eſté pluſieurs fois rougi au feu. On peut s'en appercevoir en le mâchant. On voit en le coupant les fibres, comme dans les autres ſortes des bois, et on ne peut nullement douter, que ce ne ſoit du veritable bois. Tom. XII p. 59. Ni en raclant le bois, ni en le coupant, on ne ſent aucun ſable, ni aucune dureté extraordinaire.*

Quod ſi ita ſe haec haberent, nullo modo confundendum hoc lignum cum foſſili illo Umbriae Provinciae, quod *Franc. Stellatus* quondam in peculiari libro, cujus titulus: *Tractato del Legno Foſſile e Minerale nuovamente ſcoperto etc. Romae* 1637 *in fol. inpreſſo cum figuris*, deſcripſit: nec cum alio, quod apud *Excell. Dn. D. Johan. Chriſtoph. Gottwald* Gedani in ſelectiſſimo ſuo Naturalium gazophylacio nuperrime vidi, Romae quondam ab antiquario *Domino Ficaroni* ipſi procurato, et non minus ſub ligni incombuſtibilis nomine oblato, utpote quod ad foſſilia, propter lapideam ſuam duritiem potius eſt referendum, et cum ligno parum praeter externam faciem commune habet. Poſt haec uni-

nica mihi cura erat Anatomicos et Chirurgos hujus urbis convenire. Salutavi hoc nomine *Dn. Frider. Ruyſchium*, *D. Joh. Jacob Raw*, *D. Guenelon*, *Dn. Pieter Adriaanſen Patrem et Filium*, *Dn. Catuwe*, *etc.* Prae caeteris autem, ante quam *Dno D. Raw* innotui, *D. Ruyſchium* inviſi frequentius, et neutiquam horas illas neglexi, quas explicationi Anatomes ac demonſtrationibus Gazophylacii ſui Anatomici Curioſi, in gratiam aliquot Studioſorum exterorum deſtinaverat. Incredibilis copia Praeparatorum Anatomicorum et ſtupendus ille Naturalium Theſaurus, quae poſſidet in aedibus ſuis vir hic celeberrimus, attonitos facit curioſos ſpectatores, in quorum enumerationem velle deſcendere, in vaſtum pelagum eſſet ſeſe committere, quo de fidem facere poſſunt *Specimina* illa, quorum *ſeptem* tunc ediderat ſub *Theſaurorum nomine*, ut *Obſervationes* taceam et *Epiſtolas* ejus *Anatomicas*, quae ſeorſim prodierunt. Non poſſum tamen quin memorem, quod inter ejus rariſſima ſit praecipuum, illa *Mumia pueri cujusdam octennis*, cujus corpus liquore et arte ſua balſamandi, ut perhibet, tam nitidum poſt mortem conſervavit, ut color juxta et conſiſtentia cutis et muſculorum viſui et tactui naturales et quaſi viventes ſe ſiſtant: partes omnes et membra hujus Mumiae non indurata ſunt nimis, ſed molliuſcula, quaſi ſucco et ſanguine adhuc turgerent ac vigerent, conſtituta. Admirandum hoc eſt artificium, quod in praeparatione Mumiae hujus praeſtitit Clariſſ. Vir, et plane inauditum, omnem fidem ſuperans, niſi quis ipſe viderit.

Ac licet diverſimode de praeparatione hujus cadaveris judicetur ab ejus adverſariis, nemo tamen eſt, qui analogum quid conficere aut demonſtrare hucusque potuerit. Dixit ſaepius Dn. Raw, de prodigio hoc cum ſententiam ejus expeteremus: malae fraudes ſunt ac praeſtigiae cum puero iſto; cuticulam detraxit miſero, ita ut cutis cum muſculis ſuis ſanguine adhuc turgidis, naturalem quodammodo corporis colorem referant: alii de Vacuo autumabant, in quo corpuſculum illud perpetuo, excepto demonſtrationis tempore, conſervaret. Sed omnes iſtae hariolationes exigui ſunt ponderis: Monſtra ſimile, et in ſententiam tuam lubentiſſime deſcendam. Notum alias eſt de *Bilſio*, Anatomico exercitatiſſimo, praeter miraculoſam illam corpor. viventium incruentam ſectionem, quam, *Meibomio* teſte autopta, divina plane arte ac manu curioſis ſaepius demonſtravit, a nullo alio poſtmodum unquam repetitam, etiam noviſſe artificium integra corpora conſervandi cum ſanguine, viſceribus, inteſtinis et quicquid intus continetur ſine ullo putredinis vel minimo periculo. Artem hanc poſtea *T. Andreae*, alius Anatomicus, a *Bilſio* ſibi communicatam multis experimentis auxit ac praeſtantiorem reddidit. Hic enim, praegreſſa hebdomadum aliquot balſamatione, cadavera aperuit, atque ita, intervallis ſubinde interjectis, anatomen in iis adminiſtravit, ut ſemper, tanquam vix eſſent mortua, omnia quam recentiſſima in illis invenirentur. Summi certe ſuo tempore in Pollinctura artifices fuere hi duo Anatomici: aſt ambos multis paraſangis antecel-

le-

lere noſtrum *Ruyſchium*, perſvaſiſſimum habeo. Num vero Clariſſ. Vir aliquid de arcanis illis *Bilſii* atque *Andreae* balſamandi methodis expiſcatus ſit, easdemque tam mire auxerit, uti *Andreae* primum cum *Bilſii* inventis fecerat, meum non eſt hic ventilare. Quid de caetero in ſectionibus ac demonſtrationibus ejus Anatomicis viderim atque prae caeteris notatu dignum obſervaverim, paucis jam commemorabo.

Oſſicula Auditus ex Foetu, ejusdem, quod mirum videri poſſet, in omnibus foetuum craniis cum oſſiculis Adultorum magnitudinis ſunt. Notandum etiam contra *Valſalvam*, noviſſ. de Aure Hum. Scriptorem, Oſſicula Auditus gaudere perioſtio et vaſis. Vaſa quidem admittit *Valſalva*, perioſtium non aeque; quod contra omnes Anatomes regulas. Egent enim vaſa fulcimento ſemper, quo firmentur, cui ſcopo inſervit ſemper in oſſibus perioſtium.

Cavitas ſub Sella Equina oſſis Sphaenoidei in Craniis Adultorum, obducta eſt pellicula tenuiſſima. Obſervavit etiam *Dn Ruyſch* in quibusdam ſubjectis, ex hac cavitate patere foramen in oſſa ſpongioſa Narium, cum quibus etiam tunica illa, quae dictam cavitatem obducit, communicare videtur; In recens natis cavitas haec ſub ſella Equina apparet nulla.

De *Antro Highmori*, Cavitate illa, quae in utroque oſſe maxillari ſub ſinu interne invenitur, notandum, ſaepiſſime falli Chirurgos Anatomes ignaros, qui, ſi laeſio in his partibus vel violenta vel ſucceſſiva, uti in Lue

venerea saepius accidit , fiat , pro cariei effectu , cum stylo tam profunde penetrare possunt , hanc ipsam cavitatem habent.

In *Cadaverculo recens nati* , cujus sectionem d. 27 Decembr. 1706 celebravimus , Funis Umbilicalis , uti notum , adhaerebat firmius Vesicae Urinariae , mediante Uracho. Est autem Urachus nihil aliud quam oppositio Vesicae , ast sine perforatione et usu , quod apparet si immitatur in vesicam Urinariam flatus , a quo nullo modo turgescit Urachus nec extenditur ille ad funem Umbilicalem usque , sed circa Umbilicum desinit , et cum adjacentibus vasis , foetu in lucem edito , in ligamentum abit. Aliquando cutis circa Umbilicum in recens natis observatur nimis tenuis , elevata atque instar bullae transparens : quales infantes brevi post partum tempore certissime extingui observavit *Dn. Ruysch* frequentius.

Distinctionem sexus in Sceletis admodum difficilem esse , certissimum est , si quae tamen , quaerenda illa potissimum in rima illa sub synchondrosi ossis pubis , quae ab ossibus Ischii formatur ; haec enim laxior ut plurimum in foeminis. Quod si haec Rima in foeminis respective sit angustior , partus inde difficillimus metuendus , ex quo nunquam fere emergunt : nam speculum sic dictum Uterinum , nec hic , nec in aliis casibus ullius est pretii. De caetero , ratione distinctionis sexus in sceletis , nec rejicienda penitus est differentia illa in costis apparens , quae in foeminis latiores , in maribus magis teretes , Pelvis etiam ambitus in foeminis longe amplior.

Collum vel cervicem ossis femoris a violentia

ex-

externa *frangi*, frequentius accidit, quam a plerisque creditur. Offea enim vel vitrea, ut a quibusdam appellatur, lamella in hac parte tenuiffima eft. Et quamvis communis fit opinio, ubi patientes de dolore et motu abolito in his partibus conqueruntur, exarticulationem vel luxationem offis Ifchii accidiffe, falfa tamen, imo propter incredibilem ligamentorum ac tendinum circumjacentium craffitiem ac robur impoffibile, hanc articulationem tali modo luxari. Talem fracturam his meis oculis vidi ac manibus palpavi in cadavere foeminae Nofocomii Muliebris Amftelod. fociae (*in 't Besjes Huys*) in qua tractu temporis fractura illa cervicis offis femoris dextri, per callum quidem coaluerat iterum, foemina tamen exinde per omnem aetatem ad mortem ufque clauda. Callus pollicis latitudine fub ipfo capite magno offis femoris extabat, nulla autem in ligamentis ac tendinibus mufculorum laefio vel praeternaturalis conftitutio: omnia fic fatis firmiter cohaerebant, et locus laefionis praegreffae tam bene callo erat obductus ac ferruminatus, ut, violenter licet tractatus, rumpi nequiret. Non negandum tamen, tendines mufculorum in ejusmodi fracturis, licet iterum coalefcant, pati ac debilitari in tantum, ut movendo debito ac fufficienti modo pedi vix poftea fufficiant, ut de nervis nihil dicam hic occurrentibus, majoribus illis ex offe Sacro prodeuntibus, et dictis tendinum ac ligamentorum partibus varie implicatis. De caetero de Fracturis offium in genere obfervavit *Dn. Ruyfch* dari homines, qui vel ex conftitutione corporis fcorbutica vel vitio con-

nato, ſucco illo gelatinoſo ad ferruminationem oſſium neceſſario, plane carent: atque in his talibus fracta oſſa nunquam coaleſcere rite poſſunt. Vidit alios, in quibus pars ſpongioſa ſaltem oſſium, vel meditullium concreverit, lamina vero oſſis externa dura illa non aeque: hi, data leviſſima occaſione, fracturas iterum patiuntur: pro utroque horum ſufficere putat applicationem laminae ferreae, pro continendo membro adaptatae.

Paracenteſis Thoracis in Empyemate rariſſime cum ſucceſſu exoptato inſtituitur, quia materia purulenta communiter in ſacco celluloſo inter muſculos intercoſtales et pleuram haeret. Satius eſſe putat Ruyſchius ſcalpelli loco cauterium potentiale adhibere, intra quartam et tertiam coſtam veram, ab inferioribus numerandi principio facto, applicandum. Tale cauterium optimum ex calce viva et lixivio Saponariorum, ad conſiſtentiam fere lapideam coctis, paratur.

De Trepanatione monebat, ſe ſemper viginti quatuor horas fomentationibus cephalicis partem laeſam tractare, ſi interea non remittant ſymptomata, tunc demum ad Trepanationem tranſire, operationem maxime ambiguam atque operoſiſſimam.

Die decimo tertio Januarii ſuppeditabatur ex Noſocomio publico *Cadavèr foeminae inſtante partu mortuae*, et hoc quidem pro informandis Obſtetricibus, quibus ejusmodi occaſiones inſtitutionis in arte Obſtetricandi, Magiſtratu ſic jubente, ſaepius exhibentur. Antequam autem *Dn. Ruyſch*, cui incumbit hoc munus, Obſtetricibus demonſtrationem daret,

no-

nobis prius inter praeparandum rariora talis ſubjecti phaenomena Anatomica demonſtravit. Ita autem ſitus eſt in Gravidis Uterus, ut Inteſtina Ileon et Jejunum verſus ſuperiora, hepar, ventriculum et diaphragma puta, protrudat, unde reſpiratio in gravidis plerumque difficilior. Uterus per Crucem diſſectus, ejusdem apparet craſſitiei, ac fuit ante impraegnationem, quamvis admittat inſignem illam extenſionem ſphaericam, quod incredibile videri poſſet illis, qui non conſiderant ingentem illam tunicae Uteri mediae vel vaſculoſae intumeſcentiam, quae ſucceſſive cum foetu accreſcit indies. Tunicae autem utero propriae tres ſunt numero: Exterior glabra, media ſpongioſa et vaſculoſa vaſis ſanguiferis ſcatens, et interior quaſi papilloſa, cui adhaeret, licet non adeo firmiter, Placenta Uterina, et haec ipſa continua eſt cum membranis foetum involventibus, in ſpecie Chorii. Membranae illae duae Chorion et Amnion primo intuitu unicam numero membranam conſtituere videntur, quae tamen facili negotio digitis ſeparari poſſunt ab invicem. In hoc ſubjecto foetus jam ad exitum ſe praeparaverat, unde orificium Uteri internum per dilatationem quandam attenuatum obſervabatur, capacitas autem hujus orificii binos digitos jam admittebat facile. De Placenta Uterina in ſpecie obſervavi, hanc non adeo grumoſam et diviſam eſſe, ac videtur poſt extractionem in partu naturali, ubi manibus jam tractata ab Obſtetricibus fuit. Obducta eſt peculiari membrana, quam *Ruyſchius* Succoſam vocat, cum Chorii membrana continua-

F 5 ta

ta atque Uteri ſubſtantiae inoſculata. In Vagina hujus Gravidae obſervavimus circa orificium Urethrae numero plures hiantes porulos, quibus falli interdum ſolent imperiti Chirurgi, in exploratione Calculi, ex his quendam pro urethra ipſa habentes: quem errorem tamen illi facile evitant, qui ex Anatome norunt, latum pollicem ſub Clitoride in linea recta ſitum eſſe Urethrae orificium. De poris autem illis ſciendum, eſſe hos ipſos glandularum hiantia orificia, quae tempore Venerei concubitus apud plerasque, imprimis laſciviores, inſignem eructare ſolent liquoris gelatinoſi copiam. Singulare eſt, quod obſervavit de Tubis Fallopianis Cl. Ruyſchius, ſc. in illis foeminis, quae proxime conceperunt, Tubam illam, per quam tranſiit ovulum, inflammatum quaſi apparere, quod in oſculo Tubae in Uteri cavitatem hiante obſervatur.

Quamdiu foetus in repagulis Uteri eſt incluſus, difficillimum de vita et morte ejus judicium, quod tamen vel maxime requiritur eo tempore, ubi de ſalvanda per Embryulciam matre quaeſtio oritur. Neque ullum ſignum, de foetu intra uterum mortuo adeo certum, quam illud, quod de fune Umbilicali deſumitur: hic ſi flaccidus, nec amplius pulſet, ad operationem te ſalva conſcientia accingere poteris. Signum foetus mortui ex pulmonibus deſumptum admodum lubricum ſtatuit Dn. Ruyſch. Quod ſi enim cadaverculum a longo tempore jam extinctum, et aëri liberiori expoſitum fuerit, pulmonum ſtructuram adeo poſſe everti per ſupervenientem fermentationem,

nem, ut ſupernatent aquae, licet in utero matris extinctus fuerit foetus, certiſſimum eſt. Quod ſi etiam accidat, ut in ipſo exitu in Vagina expiret foetus, nullum tamen adhuc dum aërem recepiſſe pulmones perſvaſus eſt.

Antequam a relatione ſectionis foeminae illius in partu extinctae et diſcurſu Ruyſchiano occaſione hujus anatomes formato diſcedam, facere non poſſum, quin hic loci inſeram cogitata, quae de Abortu vi et pharmacis cauſato, mihi, dum relegi, enata ſunt. Notiſſimum, quantae et quam multiplices inventae ſint ab infelicibus proſtibulis et lenis technae, pro extinguendo, antequam in lucem prodeat et amiſſae pudicitiae et virginitatis proditorem agat, inſonte embryone. Tantus enim bonae famae et exiſtimationis amor et pretium, ut conſcientia et religio negligantur lubentiſſime a pleriſque, ſi modo illas ſartas tectas utcunque conſervare valeant foeminae, quae clandeſtino modo Veneris feſtis interfuerunt, ac delicias hujus furtim deguſtarunt. Quantus hominum numerus ejusmodi artificiis in fieri pereat, vel inde conſtare poteſt, quod dentur nonnulli inter Pontificios, qui Limbum Infantum, quo aſſervari creduntur ad Extremum Judicium uſque cum reliquis non baptizatis infantibus Abortus etiam, ipſum Purgatorium ſpatio ſuo exaequare aſſerunt: alii plusquam tertiam hominum viventium partem ſuperari numero ab Abortivis infantibus credunt. Habent enim infames illae pharmaca et pocula ſua abortiva ſic ſatis fida, quibus intentioni ſuae cum ſucceſſu ſatisfaciunt,

quae

quae tamen ut plurimum ſtatim poſt impraegnationem, vel ante tertium ad minimum et quartum geſtationis in utero menſem adhiberi debent: quod ſi vero vel ex ſimplicitate vel ex imprudenti negligentia termino iſto et tempore excluſa quae fuerit, neque tunc etiam technae et machinae deficiunt, quibus ab incommodo et vivente ſcortationis teſtimonio ſe liberare valent. Tunc enim miſero foetui parata ſunt alia arma, tam ferocia, ut ad extinguendos infenſiſſimos in bello hoſtes ſufficerent. Obſtupeſco, quoties in memoriam revoco, quae *in ſcriptore Gallo libri cujusdam Amatorii* et deinde etiam apud *Guidon. Patinum* Philoſophum et Medicum incomparabilem in Literis ſuis Gallico idiomate ſcriptis, de hac ipſa re legiſſe recordor: *Epiſtola eſt CXCI et ſeqq. Tomi I ad Dn. Falconet anno* 1660 *die* 27 *July et ſeqq. ſcripta*, *Edit. Pariſinae* 1692. ubi meminit obſtetricis, eo tempore ſuſpendio publice punitae, quae, perforato foeminae cujusdam gravidae per idoneum inſtrumentum utero, foetum enecavit, abortum procuratura, aſt ſucceſſu tam infelici, ut correpta convulſionibus mater miſerrime expiraverit. Nequiſſima obſtetrix, in confeſſione coram Criminali Judicio, pluribus foeminis hoc modo interdum ſatis feliciter abortum effeciſſe faſſa eſt. *Dn. Patinus* autem, ut ſedulus Hiſtoriae tam Sacrae quam Profanae Lector, ex *Tertulliano* allegat locum, quo jugulandi in utero foetum, eundem hunc modum, jam ante plura ſecula notum fuiſſe, probat: legitur locus iſte *in libro de Anima cap.* 25 *edit. Rigaltii ann.* 1641 *p.* 328 his fere

ver-

verbis : *Eſt etiam aeneum ſpiculum , quo jugulatio ipſa dirigitur coeco latrocinio : ’Εμβρυοσφάκτην appellant , utique viventis infantis peremptorium .* Fallor , an hiſtoria ex his autoribus allegata , et *Tertulliani* locus ipſe , optime explicant illam *Ovidii Elegiam , quae in Amorum L. II. decima quarta eſt et ſequentia habet :*

Quid juvat immunes belli ceſſare puellas ,
Nec fera peltatas agmina velle ſequi ;
Si ſine Marte ſuis patiuntur vulnera telis ,
Et caecas armant in ſua fata manus ?
Quae prima inſtituit teneros convellere foetus ,
Militia fuerat digna perire ſua .
Scilicet , ut careat , rugarum crimine venter ,
Sternetur pugnae triſtis arena tuae .

Et paulo poſt :

Veſtra quid effoditis ſubjectis viſcera telis :
Et nondum natis dira venena datis .

Item :

Dicite quis Tereus , quis Vos irritet Iäſon
Figere ſolicita corpora veſtra manu ?
Hoc neque in Armeniis tigres fecere latebris :
Perdere nec foetus auſa Leaena ſuos .
At tenerae faciunt , ſed non impune puellae :
Saepe ſuos utero quae necat , ipſa perit .
Etc.

De veritate facti igitur ; quod ſcilicet *Pativi* tempore in Galliis , atque *Ovidii* ac *Tertul-*

tulliani teſtimonio Romae, abortum violentum ſibi, perforato per ſtylum ferreum utero, concitaverint deſperabundae, nullum reſtat dubium; Hoc autem concipere ſatis commode nequeo, qua ratione vulnerari tam crudeliter uterus, maxime ſenſibile viſcus, queat, ſalva et ſuperſtite matre. Salvam autem vel aliquando ex truculento hoc puerperio emerſiſſe ac reſtitiſſe matrem, ex reiterato ſaepius tam antiquis quam his noſtris temporibus nefando hoc facinore colligendum eſt. Niſi enim aliquando et vel ſemel ſaltem ſucceſſiſſet negotium, nulla vel perditiſſima foeminarum id ipſum imitata fuiſſet unquam. Stylus ille letifer adigi neceſſario debet per vaginam in ipſum uteri orificium; hoc autem quam ſenſile, quam nervoſum, durum, et extra partum quaſi cartilagineum ſit, ex inſpectione oculari conſtat. Quantae inde convulſiones, quam dira inflammatio et alia ſymptomata non metuenda? Certe plusquam giganteas vires pro ſuperandis ejusmodi doloribus ac periculis habuerit neceſſe eſt, ſi quae unquam infernale hoc obſtetricandi artificium revera ſuperavit. Obiter noto, annon credendum, quod Ἐμβρυοσφάκτη *Tertulliani* magnam cognationem habuerit cum Ὄνυχι *Hippocratis*, qui *Libro de Superfoet. text.* 5. hunc deſcribit, *ut inſtrumentum ferreum acutum, quod magno digito affixum, ad ventrem infantis diffindendum et inteſtina eximenda adhibuerunt in Embryulcia Veteres.*

Alia occaſione demonſtrationem et diſcurſum formavit *Dn. Ruyſch de Venae Sectione.*

No-

Notum quidem ſubjectum Venae ſectionis communiſſimum in Brachio eſſe Venam Cephalicam, Baſilicam et Medianam: Vena Cephalica ſita eſt in latere externo Brachii, ſicut Baſilica in interno. Ubi autem hae duae Venae per ramorum ſuorum anaſtomoſin concurrunt, quod fit infra Cubiti flexuram, Mediana inde emergit; Quae non adeo frequenter ſecatur, uti imperitum vulgus putat, interdum enim ſub muſculis fere occultatur. Inciditur autem communiſſime Cephalica vel ejus ramus in Cubiti flexura, vel ſupra illam; Baſilica enim vel Hepatica, uti a quibusdam appellatur, periculoſius ſecatur propter proxime adjacentes et ſubjacentes nervos, in ſpecie autem aponevroſin illam, quae a ſubjacente parte tendinoſa muſculi Bicipitis formatur, et laeſa, gravia producit ſymptomata.

Inter demonſtrationem partium Urinae ſecretioni inſervientium et in ſpecie Veſicae, rariſſimam obſervationem *de deſcenſu Veſicae in Scrotum* propoſuit, ſancteque teſtatus eſt, bis in Praxi ſua ejusmodi portentum ſeipſum obſervaſſe; Solere autem tunc Veſicam deſcendere in ſcrotum per eandem viam, qua inteſtina ſolent in herniis: Certiſſimumque hujus affectus ſignum eſſe, ſi quis non niſi compreſſo ſuperiora verſus ſcroto, mingere poteſt.

Haec ſunt, quae ex *Clariſſ. Ruyſchii* ore, praelectionibus ac demonſtrationibus haurire atque annotare integrum fuit. Jam de altero noſtro Praeceptore Domino *D. Joh. Jacob Raw*, Inſigni Hollandiae Decore, Anatomico et Chirurgo Incomparabili, judicio atque ex-

experientia in secando ipsius *Vesalii* dexterita-tem ac diligentiam fere superante, quaedam in medium proferre liceat. Hujus Viri Excellentissimi institutione in Anatomicis et Chirurgicis per quinque fere menses utebar. Quaecunque igitur hic communicavero, Consummati Anatomici sunt observata, et quidem illa saltem, quae mihi potissimum ex doctrina ejus notabiliora visa sunt. Innumera alia habet Clariss. Vir, in specie quod fraudes, praestigias atque errores Pseudo-Anatomicorum attinet, quae si publico patefacere vellet, admirationem omnium in se tracturus esset, de salute tot myriadum hominum atque Artis nostrae incremento optime meriturus. Quod si has meas qualescunque lucubrationes et spicilegia Anatomica ad ipsos Magni illius Anatomici oculos pervenire contingeret, nolit eo nomine mihi succensere, quod singulares quosdam ejus conceptus in lucem proferre non erubuerim. Sancte enim testor, publici amore hoc factum esse: Ut Anatomes studiosi videant quaedam saltem vestigia doctrinae Anatomicae verae, naturalis, non fucatae, et cavere sibi discant ab Anatomicis illis, qui famam habent et non merentur, qui miseris ac male fundatis tyronibus imponunt, laureolam in mustaceo inventis suis novis atque inauditis, uti crepant, praestigiis et glaucomatis quaerentes.

Suam facit Excellentiss: *Dn. Raw de vera articulationis maxillae inferioris cum superiori sede in sceletis inventionem*. Perpetuus enim est in omnibus fere sceletis et delineatis et naturalibus error, maxillam inferiorem articula-

tam

tam videre eo in loco, ubi cavitas clinoidea ossis petrosi occurrit, quae tamen semper fere, et maximam partem in homine vivente pinguedine repleta est, et spatium quidem concedit apophysibus condyloideis, sed in motu saltem, ut sc. sine impedimento moveri retrorsum ipsa maxilla inferior possit: Verus autem articulationis locus est juxta processum Zygomaticum, in eminentia transversali, cui interveniente cartilagine in cadaveribus articulatam clare cernimus dictam inferiorem maxillam. Quod si casu ab alto, plaga aut alio modo maxilla inferior exarticuletur, tunc fieri potest, ut totus fere processus condyloides in clinoideam cavitatem secedat: ast hoc in statu praeternaturali accidit, et tunc homo in masticationis opere impeditur, nisi dextra Chirurgi manu, elongando aliquantum dictum Maxillae Os, in sedem pristinam reducatur.

De *osse Maxillari* proprie sic dicto Maxillae Superioris notum est, hoc totum fere exsinuatum esse, et parvum angustumque habere orificium in Narinas hians: *De usu hujus Sinus* non minus ac Sinuum Frontalium et Sphaenoidalium statuit, praecipue quidem hos facere ad sonum in voce formandum, secundario vero inservire muco Narium indesinenter restituendo; Sunt enim revera nihil aliud quam muci Narium receptacula allegati sinus, ita ut omni tempore mucus abundanter adsit, qui undique ex his effluens, in quemcunque sensum caput positum fuerit, membranam Pituitariam, cellulas ossium spongiosorum investientem abundanter inundet, ne ab inspira-

to et exſpirato aëre exſiccata ad olfactum inepta fiat, ſed a continuo hujus humoris affluxu flexilis ſervata, commode impreſſiones partium odoratarum per aërem ad illam deductarum recipere ac debito modo nervos afficere poſſit. Hinc etiam videtur tanta membranae Pituitariae in exiguo ſpatio expanſio: nam omnes praedictos ſinus et cellulas oſſium ſpongioſas inveſtit, ut in ampliori ſuperficie Odorantium particulae per aërem advectae illam tangere poſſint. Et haec eſt ratio, quod odores objectorum per aliquod tempus nobis maneant, objectis jam remotis, quando nimirum quaedam odorum particulae in interſtitiis cellularum oberrant. Hinc animalium, quae has cellulas ampliores habent, odoratus praeſtantior exiſtit, uti in Canibus evidens.

Oſſa Narium Spongioſa inferiora, quae a Recentioribus Maxillarium apophyſes eſſe dicuntur, *Dn. Raw* ſingulare Maxillae Superioris oſſium par conſtituit. Nares enim et proceſſus Ethmoidei oſſis ab his perita manu in adultioribus ſubjectis ſeparari poſſunt, et tam facile etiam ſeparantur et cadunt ſua ſponte, ut in pleriſque Craniis, ex coemeterio vel calvariae loco deſumptis, deficiant.

De Foraminibus pro transmiſſione Nervorum in Cranio occurrentibus, magnum inter Anatomicos invenies diſſenſum. Optima videtur mihi Paeceptoris mei methodus, qui in Oſteologia ſua Cranii foramina, non uti alii faciunt, cuivis oſſi peculiaria enumerat, ſed poſt deſcriptionem omnium Capitis oſſium, ita procedit, ut eadem, oſſibus in naturali ſua compage relictis, recenſeat. Formantur enim fo-

foramina haec aliquando ex pluribus uno ossibus, unde inepte ab aliis in singulari ossium Cranii recensione divisim recensentur. *Decem* numerat *foramina Cranii interna :*

Incipiendo ab illis, quae pro *Olfactoriis nervis* formata sunt :

Per *Foramen secundum* transit *par Opticum :*

Tertium Foramen inaequale *quatuor* inservit Nervorum *paribus* nimirum :

Oculorum Motorio,
Oculorum Pathetico,
Primo ramo Opthalmico Quinti Paris,
et
Pari Nervorum sexto in musculum Oculorum abducentem derivato, quod *Timidum* alias appellatur :

Foramen quartum transmittit *secundum ramum Quinti paris* ad maxillam superiorem excurrentem :

Quintum pro *tertio ramo Quinti paris*, qui inferiori maxillae inservit :

Per *Foramen Sextum* egreditur *ramus Arteriae a Carotide externa* oriundus :

Septimum Foramen admittit *Carotidem internam :*

Per *Foramen Octavum* egreditur *par* Nervorum *septimum Auditorium* dictum :

Nonum formatum est pro receptione *paris* Nervorum *Octavi*, quod *Vagum* appellatur :

Decimum denique, quod saepius duplex, *pari Nono*, quod *Linguale* appellatur, inservit :

 His

His accedit *foramen* in Cranio omnium *maximum*, per quod *Medulla oblongata*, *decimum* etiam quandoque *par*, *Arteriae Vertebrales et Nervi ſpinales Williſii* exeunt. Vides qualem *Dn. Raw* Nervorum diſtributionem faciat. Numerat paria Nervorum quidem cum Williſio, aſt non decem ſed novem ſaltem, ſiquidem ultimum par decimum Williſii ad Cervicales potius ſpectare videtur, adeoque primum rectius Cervicalium Nervorum par, quod inter primam et ſecundam colli vertebras exire obſervatur, dicendum.

De Undecimo Nervorum Cerebri pari, quod *D. Bidloo* reliquis Cerebri nervis accenſet, et ſumma in Galenum injuria ſibimet ipſi ejusdem inventionem vindicat, ita judicat *Dn. Raw*: Verum quidem, quod egrediatur ex Cranii oſſibus dictus Nervus, ſi quidem notiſſimum, illum cum pari Octavo per unum idemque foramen egredi ac tandem, relicto dicto pari, in muſculum Trapezium impendi: Aſt quia hic ipſe Nervus non ex Cerebri ſubſtantia, quatenus in Cranii oſſibus continetur, ejicitur, ſed ex medulla ſpinali inter ſecundam et tertiam vertebram enaſcitur, abſurde *a Bidloo* ad Cranii nervos refertur, rectius antiquiſſimo Galeni nomine *Nervus ad latus Medullae oblongatae locatus* appellatur. Haec de Capite.

Ex Artubus paucis allegabo, quae *de Carpo* ejusdemque debita compoſitione in Sceleto *Dn. Raw* nobiscum communicavit. Notiſſimum, hujus articulationem et compoſitionem adeo eſſe difficilem, ut in Sceleto, qui oſteo-

logiam probe intelligunt Anatomici, hanc partem ſtatim obſervent, quae ſi debito ordine ac modo compoſita ſit, dexteritatem atque in Anatomicis ſolidam ſcientiam artificis multo certius patefacit, quam vel albedo oſſium, vel aliae minutiae, ab imperitis aeſtimata. Hanc igitur Carpi compoſitionem ſequenti modo nobis monſtravit: Carpus ſeu Antibrachiale octo habet oſſa, quorum figuram, ob irregularitem deſcribere non poſſumus: duplicem autem conſtituunt articulum, unum cum Radio et Ulna, alterum inter ſe. Quod ſic fit: quartum oſſiculum primi ordinis nihil fere facit ad articulum, ſed ſuperius tantum adhaeret oſſiculo interiori horum trium oſſiculorum primi ordinis et recipit tendinem muſculi Carpi flexoris interni: tria haec oſſicula ſuperiora vel primi ordinis per ſtrictam diarthroſin juncta ſuperius capitulum conſtituunt, quod Radio pro maxima parte et Ulnae articulatur, inferius cavitatem efficiunt, quae excipit capitulum formatum ex duobus oſſiculis ſecundi ordinis. Ita ut videas duplicem eſſe ordinem horum oſſiculorum, nam primus ordo quatuor habet oſſicula, ſecundus totidem. Et duplicem eſſe articulum amphiarthrodialem, unum cum Radio et Ulna, alterum cum tribus oſſiculis primi ordinis. Praeterea ita diſpoſitus eſt ordo horum oſſiculorum inferius, ut cavitatem relinquat profundam pro commodo tranſitu tendinum flexorum digitorum, nervorum et arteriarum, quae ad manum ſpectant internam

Majoris curioſitatis aeque ac utilitatis ſunt, quae de *Dentium generatione* obſervavit primus

mus *Celeberr. Raw*. Edidit quidem *Theod. Kerckringius* olim *Osteogeniam Foetuum* rara diligentia atque accurato judicio conscriptam, ast, quod mirum, de Dentibus eorumque generatione nihil fere ibi reperies. Singulari perspicuitate et cura hanc rem nobis proposuit Anatomicus noster, sequentem in modum: Mirandum, omnium Dentium semina in alveolis Maxillarum adhuc imperfectis haerere, gingivis obtecta in foetu, et tot quidem semina, quot unquam in homine per omnem aetatem prorumpunt Dentes. Possunt haec semina in foetu recens nato, ablatis gingivis, ad oculum demonstrari. Continet autem unusquisque foetus, qui completum aliquando Dentium numerum habiturus est, quinquaginta duo Dentium semina. Praeter triginta duo enim, quos Homo perfectus habet Dentes, viginti numero in duplo inveniuntur in foetu Dentium vestigia. Natura enim sic constitutum est, ut octo incisores, quatuor Canini et Octo Molares circa 5. 6. 7. vel 10mum aetatis annum cadant, restituendi iterum per hactenus latentes sub prioribus Lacteariis, et postea succedentes Dentes. Cadere autem necesse habent priores, quatenus illorum substantia durior longe et compactior est, quam Maxillarum substantia. Hinc cum Dentes illi tam cito explicari nequeant ac Maxillarum alveoli, evenit, ut praesepiola vel alveoli valde amplificati tenuem nondum accretum Dentem amplius non amplectantur, sed cadere sinant. Praeterea juvant hunc Dentium casum memorati jam juniores, adhuc molles secundarii Dentes in pri-

privatis ſuis alveolis aſſervati. Nam qui in locum veniunt Inciſorum, a Latere poſteriori ſiti ſunt, qui in locum Caninorum, a latere anteriori et inferiori, qui in locum Molarium, inter tres Molarium radices. Sciendum enim, hos Molares in infantibus tres habere radices, caeteros Molares, qui non cadunt, quatuor. Haec de ſitu Dentium Succedaneorum doctrina animadverſionem meretur, et obſervari debet exacte ab illis, qui Dentibus extrahendis operam dare ſolent. Ubi enim duplex Dentium ſeries adeſt in pueris, quod non raro accidit, ex Inciſoribus anterior, e Caninis non niſi poſterior extrahendus eſt. Hi Dentes igitur ſuccedanei in hac aetate molliores ſe explicant in privatis ſuis alveolis, et alveolos ſuos verſus primorum alveolos protrudunt, et ſic illos ad caſum ſolicitant. His vero expulſis, ſuis alveolis primorum alveolos occludunt, poſteriorem lamellam verſus anteriora comprimendo. Et ſic poſtea illi adhuc molles Dentes, cum hac aetate jam rigidiore facta maxilla, aequaliter accreſcere atque adaugeri poſſunt, ut apta maneant praeſepiola ad illorum radices retinendas. Nam arcte alveoli radices Dentium ambiunt et reticuloſa vaſorum membrana in alveolis ligant atque extus gingivae illis adnatae idem faciunt.

De caetero notabile etiam, quod *Dentium ſtructuram in genere* attinet, cavitatem eorum interius, non minus ac radicem exterius inveſtire membranam, quam comparare poſſumus cum perioſtio interno atque externo oſſium. Et hanc membranam demonſtravit nobis *Dn. Raw* in Dente Inciſore per longitudi-

 nem

nem diſſecto, vaſis ejusdem cera miniacea repletis : quae vaſorum repletio etiam fieri poteſt ſine cera, ab ipſo ſanguine, ſi Cani e. g. ligentur venae jugulares.

In Myologia ſingularis eſt et notatu digniſſima *Dn. Raw* obſervatio de Colli, Dorſi et Lumborum muſculis Extenſoribus. Cum enim plerique Anatomicorum Extenſores Colli duos nominent, Tranſverſalem et Spinatum, Dorſi et Lumborum tres utrinque, diverſis nominibus Sacrum vel Sacro-lumbarem, Longiſſimum Dorſi et Semiſpinoſum appellantes, conſtituant, *Dn. Raw* unicum ſaltem muſculorum par, quod Collum, Dorſum et Lumbos, quantum articulatio admittit, extendit, habet. Hoc oritur partim tendinoſo, partim carnoſo principio a parte poſteriori et ſuperiori oſſis Sacri, et collocatum intra cavitatem, quae ab apophyſibus ſpinoſis omnium vertebrarum, et a parte poſteriori coſtarum efformatur, ejicit innumeros tendines, qui apophyſibus ſpinalibus ac transverſis decuſſatim quaſi implantantur.

Omnes Tendines Muſculorum digitorum Pedis et Manus habent Vaginam ex propria ſua ſubſtantia efformatam : In vaginis illis ſemper liquor; qui natura idem eſt cum liquore in articulationibus reperiundo, colligitur.

De Muſculo communi Femoris et Tibiae, Faſcia Lata vel Membranoſo, quem plerique pro abducente muſculo habent, ex accuratiori ſectione apparet, ſaltem muſculum Vaginalem hunc eſſe, reliquos ſibi ſubjectos muſculos firmiter colligantem. Proprie etiam non movet Os, quia ipſi parum vel nihil inſeritur.

Pha-

Pharyngis Musculi, quorum a nimium curiosis quinque paria numerantur, tres saltem sunt, accurate loquendo: duo Sc. Stylo-pharyngaei, qui Oesophagum dilatant, et unus, qui Sphincter Oesophagi dici meretur, eumque constringit. Ex hoc Sphinctere a sciolis duo formantur musculorum paria, Pterygo-pharyngaeus et Thyro-pharyngaeus.

In Humeri Musculis Rotundus minor et Infra-Spinatus, unum numero faciunt musculum.

De Cubiti Musculis notandum, Longum Brevem et Brachialem externum, unicum saltem constituere musculum, qui triplex quidem habet caput, unicum autem punctum mobile.

Anconaeus nihil aliud est, quam protensio reliquorum Extensorum Cubiti.

Clitoridis musculorum mentionem apud nonnullos invenies Autores, descriptionem autem valde obscuram. Accuratior eorundem Anatome, quam in cadavere puellae septendecim annorum nobis dedit, haec est: Clitoridis musculi duo sunt, ab utroque latere unus, adhaerescunt ossi pubis inferius ad latus internum, et horum concurrentes extremitates ab utroque latere cum suis fibris involutis duobus corporibus nervosis, Clitoridem ipsam constituunt, quae nihil aliud est, quam duorum horum musculorum finis cum fine duorum corpusculorum nervosorum cuticula nymphis continua obtecta, multis papillis conspicua aeque ac nymphae. Horum musculorum usus est, corporum nervosorum venas constringere et sanguinis regressum impedire, unde ab

affluxu ſanguinis arterioſi corpuſcula nervoſa tumentia, Clitoridem erigunt, membranam eam obcingentem valde tendunt, unde papillae nerveae pendulae rigidae magis factae, minimas etiam titillationes accuratius perſentiſcunt, et Veneris illecebras augent. Salaciores foemellae hujus contrectatione ac titillatione laſciva liquoris illius, quem ſperma communiter vocant, effuſionem ſibimetipſis proritare ſolent.

Haec de Clitoride, qua occaſione et propter materiae cognationem nonnulla in diſcurſu allegabat *de genuinis Virginitatis notis*. Et prout notum abunde eſt, eluceſcet, Hymenem in adultis inventu eſſe rariſſimum, ob nimiam ſexus ſequioris curioſitatem et intempeſtivam laſciviam, ita paradoxum etiam videbitur, non parum difficultatis occurrere *in vera diagnoſi foeminae jam puerperium vel abortum adultiorem paſſae*, *ab illa*, *quae nunquam peperit*. Plicas quidem vel rugas contrahunt in abdominis integumentis foeminarum pleraeque, obeſiores praeſertim et phlegmaticae, poſt primum ſaltem et unicum etiam puerperium, quibus praeſentibus, etſi in pudendis partibus reliqua Virginitatis ſigna adeo accurate perquirere non liceret, juſtam de anteceſſo puerperio ſuſpicionem apud imperitum vulgus vix effugerent: Aſt, ut taceam varia illa aſtutiorum muliercularum machinamenta, quibus et nominatim ſtricturis illis abdominis fortioribus per certa veſtimenta poſt partum ſtatim inſtituendis, rugarum proventum evitare et ventrem ſic ſatis nitidum, globoſum ac laevem conſervare ſatagunt, aliae

etiam

etiam proſtant rationes et cauſae, quae a plicatili et rugoſo ventre ad laeſam per concubitum et puerperium virginitatem argumentari non permittunt. Quid ſi enim mente et corpore illibata poſt ſuperatum Aſcitem, Hydropem Uteri, vel alium ſimilem affectum, rugoſum ejusmodi integumentorum ventris habitum contraheret? Annon ſumma injuria miſera talis, ſine ulteriori inquiſitione, pro vitiato ſcorto haberetur? Sin igitur rugoſus venter non ſufficit ad probandum praegreſſum puerperium, nec etiam ſic ſatis laevis et ſtrictus pro aſſerendo contrario: alia omnino et certiora adeſſe debent phaenomena, quae nobis pro dignoſcenda illibata luculentiorem accendant facem. Haec quaerenda partim in externis, partim in internis Muliebrium partibus. Et in externis quidem *Fiſſura Magna eſt*, a Graecis Anatomicis Σχίσμα μέγα appellata, ex cujus inſpectione de praegreſſo puerperio certiſſimum indicium haberi poteſt. Hujus enim parietes, qui ab Anatomicis Labia vocantur, illa parte, qua anum proſpiciunt, in nondum puerperium paſſis arctius cohaerent et tenſi ſunt, ita ut eo ipſo ſpatium illud, quod Perinaeum vocatur, latius et largius, fiſſura autem ipſa verſus anum praecipue, anguſtior et arctior reddatur. Haec freni labiorum tenſio in puerperio per foetus tranſitum inſigniter laxatur, ipſaque fiſſura hac ratione anum verſus non parum dilatatur, nec unquam poſt puerperium, ad priſtinam tenſionem redit; quam freni labiorum dilatationem Gallorum Obſtetrices vernacula ſua *le dechirement de la Fourchette* appellare ſatis appoſite ſolent.

Quoad

Quoad internas, explorandae ipsius *orificii vaginae corrugationes*, a nonnullis Carunculae myrtiformes appellatae, quae a plerisque ab Hymene post deflorationem concidente formari, et superstites remanere creduntur. Hae dictum vaginae orificium arctius reddunt connata sua rugosa, tuberosa et inaequali intumescentia, ita, ut in tam corrupto rerum nostrarum hodierno statu, pro Hymene ipso, si conniveant satis, in plerisque accipiendae sint. Neque tamen putandum, quod in illis etiam puellis, quae virum aliquoties passae fuerunt, hae deliciae deficiant omnino. Si modo sana quae fuerit, et habitu corporis non nimis spongioso vel phlegmatico gaudeat, illam orificii coarctationem et caruncularum intumescentiam conservare sic satis integram potest, ut artes taceam, quibus levissimo negotio, constrictiorem et arctiorem aditum hujus antri Venerei reddere valent callidae et astutae Nymphae. Ast longe aliter comparata res erit in illis, quae vel simplici vice pepererunt: In his enim membranosae illae inaequalitates et corrugationes, gratissimae Veneris illecebrae, ita obliterantur, ut earum nullum fere vel vix ac ne vix quidem palpabile vestigium remaneat. Quae ratio etiam fuit, quod corrugationes has pro Carunculis vel carnosis eminentiis Curiosiss. Organorum Mulier. Ruspator *Regner. de Graaf* accipere noluerit: *Quod si enim*, dicit, *verae essent carunculae, in magna illa vaginae orificii distensione, qualis in partu contingit, suam figuram ac molem servarent, aut aliquod saltem earum vestigium remaneret*,

quod, si contingeret, parturientibus magno forent impedimento, quandoquidem asperitate et inaequalitate sua egredienti foetui tanquam obices resisterent, p. 192 *edit. Lugd. Batavae* 1677. Tantum de signis passi puerperii, quae pro superflua speculatione nemo facile habebit, qui haec tam difficilia fere omni tempore, quam ipsius Virginitatis fuisse considerat, testante *Doctissimo Horatio Augenio Ducum Sabaudiae olim Archiatro* qui in *Epist. I Tomi IIdi cap.* 5 *Editionis Francof. Wechelianae de anno* 1597 *in fol.* prolixe narrat, *sex probatae famae et peritiae obstetrices juvenculam quandam judicasse virginem intactam, quae septem antea mensibus puerum pepererat*. Valeant interim astutae foeminae cum stricturis suis abdominis post partum ad laesionem partium internarum usque adornatis, quibus *rugarum crimen*, ut cum *Ovidio* loquamur, evitare student: allegata *a fissura et orificio vaginae desumpta indicia*, si perita et emunctioris naris obstetrix pro inspectione admittatur, nunquam artibus suis effugient.

De Areola in Mammis statuit noster Anatomicus, consistere illam in cutis attenuatione quidem, ast quae firmiori contextu quam caetera cutis gaudeat, ne impetus continuus infantis, quem in areolam sugendo exercet, tam facile eandem laedat. Videmus enim sugendo cutim etiam in aliis corporis partibus statim rubefieri.

Ex Adenologia sequentia habe:

Octo majores in capite Humano reperiuntur glandulae: Duae Parotides,

Sub-

—— Sub-Maxillares,
—— Sub-Linguales,
—— Amygdalae dictae:

Quae omnes ex pluribus numero componuntur glandulis, et quarum distincta orificia facile videmus oculis. Parotides per ductum Stenonianum exonerant lympham suam in fauces, Buccinatorem musculum perforantes, prope Dentem Molarem tertium a Caninis, superioris maxillae.

Sub-Maxillares et Sub-Linguales glandulae per unum eundemque ductum, quem *Jul. Caes. Placent.* longe ante *Warthonum* descripsit, exonerant lympham suam sub lingua juxta frenulum et venulas Raninas.

Nuckii nova glandula sub inferiore palpebra, uti et *ductus novi* pro advehendo humore aqueo in *Oculis*, in cerebro saltem natae et fictae chimerae sunt.

Vigebat eo tempore, quo exercitia nostra Anatomica continuabamus, Disputatio inter *Phil. Verheyen* Lovaniensem, et *D. Godofr. Bidloo* Leydensem Anatomicos, *de Glandula Thymo*, cujus controversiae argumenta scriptis ex utraque parte in publicum editis, extant. Ex hac controversia nascebatur nobis occasio examinandi hanc glandulam ejusdemque situm in foetu recens nato accuratius. Haeret autem haec sub jugulo, sive in parte superiori et anteriori cavitatis pectoris, sub osse Sterno. Mediastino adnata est ope membranae adiposae tenuissimae, quam bene comparaveris cum lamella tenuissima Omenti. Tegit

git Venam Cavam ſuperiorem totam , Aortam , antequam in angulum contorquetur , et principii arteriae Pulmonalis partem , (in quantum haec duo vaſa extra pericardium viſui ſe offerunt). His vaſis , interventu praedictae membranae , nectitur leviuscule , ut illam digitis avellere facile poſſis. In Specie autem contra jejunam *Godofr. Bidloo* deſcriptionem de ſitu Thymi notandum , partem ejus ſuperiorem tangere quidem primam Venae Cavae Superioris diviſionem , aſt ne unicum quidem trium ramorum ex angulo aortae ejectorum attingere , inferiorem autem glandulae hujus partem ſupra pericardium , repere usque ad medium cordis , et pericardio , mediante praedicta membranula , laxe adhaereſcere. Praecipuus itaque hujus glandulae uſus obtegendis vaſis majoribus ſine dubio dicatus eſt : Aſt , cum in infantibus ac foetu ſucco lacteo chyloſo turgeat , qui ſtatim ac foetus in lucem editus , ſucceſſive imminuitur , videtur omnino etiam aliquid conferre ad nutritionem foetus in utero , ſed qua ratione , hucusque non liquet.

Ex Angeiologia primus obſervavit D. Raw, Venae Portae ramum Lienarem majorem , ubi ipſi incumbit Pancreas , emittere ſeptem , octo , decem aliquando etiam plures ramuſculos , Pancreati , ſecundum longitudinalem ejus ductum , proſpicientes. Habent Venae interius productiones membranoſas , Valvulas dictas , duas ſemper ſibi ratione ſitus et altitudinis correſpondentes. Non illum , ut plerique Autorum volunt , habentes uſum , ut ſanguinis in Venis motui ſuccurrant. Hoc e-

enim ipſa Circulationis lex efficere poteſt, etiamſi longius a corde diſſitae Venae, ejus impetum vix ſentiant. Alia itaque ex ratione Valvulas in Venis non omnibus, ſed Cava ſolum et ejus diſſeminationibus familiares ſtatuimus, ut in quacunque Cordis Syſtole ſanguinem Venalem pro illo momento quaſi repreſſum ſuffulciant, ne tale pondus extraneum arterioſi ſanguinis in venas ingreſſum repellat, et ſic varias in corpore ſecretiones praepediat. Praeterea videmus Valvulas ſemper inferius orificio diſſeminationum Venarum qſ. appoſitas, ut ſic ſanguinem per illa orificia et majores Venarum ductus ingredientem, quaſi diverticula quaedam recipiant, ne levem ſanguinis in majoribus Venis motum ab utroque latere appulſus ſanguis interrumpat. Notandum tamen, in ipſa Cava inferiori maxima, et ſuperioris trunco, antequam bifidetur, vix unquam inveniri Valvulas. Si enim adeſſent membranoſae tenues et ſubtiles hae productiones in ipſis his majoribus truncis Cordi proximis, impetui Sanguinis a Cordis Syſtole effecto, vix reſiſtere potuiſſent. Quapropter in diſtributionibus potius conveniebant, in quibus impetus ſenſim remittit. E contrario Vena Portae nullas habere debuit Valvulas, quandoquidem illa Cordis preſſio in ſyſtole in Portae Sanguinem exerceri non poteſt: Venae enim Portae pars ſuperior Arteriae officio fungens, in partem ſuam interiorem receptum ſanguinem in hepar dimittit. Hinc Arteriae potius fabricam obtinet.

Quae *de Situ Partium in genere earumque Connexione*, in aliquot cadaverum apertione ob-

observavi, brevibus hic etiam commemorabo; Diſſecto Abdomine, uti notum, in conſpectum veniunt inteſtina, quae in ſitu naturali ita conſtituta ſunt, ut Jejunum occupet regionem ſupra umbilicum, Ileum autem regionem illam, quae infra umbilicum ſita eſt, ita ut hoc maximam partem cavitatis pelvis occupet: Colum in inferiori parte abditum quaſi latet et curvaturam Sigmoideam facit a dextra cavitate oſſis Ilei usque ad Inteſtinum Rectum. Duodenum occultatur in ſiniſtro latere ſub Jejuno. Hepar ſuperiorem partem ſub Diaphragmate occupat per totam latitudinem, ita tamen, ut paulo major pars in dextro latere ſita ſit, quam in ſiniſtro, quia ſpatium pro Liene in dicto ſiniſtro latere ſupereſſe debebat. Ita autem comparative ſita ſunt Hepatis et Lienis Viſcera, ut in dextro latere ſub coſtis ſpuriis emineat Hepar, in ſiniſtro Lien, ita, ut ſi ſcirrho affecta ſint, bene ibi tumor manu admota ſentiri poſſit. Ventriculus occultatur fere ſub Hepate, ita, ut in media ſaltem parte aliquantum emineat, magis tamen verſus ſiniſtram ab Hepate detruſus: connectitur cum Liene per vaſa brevia; Ab hoc ſtatim extenditur Omentum, Lienem ſimul tegens, quod non perforatum eſt, ſed duplicatum quaſi cum Colo cohaerens. Veſica Urinaria anterius tantummodo in pinguedine haeret, alias etiam in parte Hypogaſtrica et quidem faciliori apparatu et negotio ſecari poſſet Calculus: Aſt quia propter pinguedinem Veſicae in his partibus vulnerata coaleſcere nequit cum peritonaeo, Urina in cavum abdominis effunderetur, lethali periculo. Inteſtinum Rectum in

H ſpe-

ſpecie ſphincter ejus, tota quaſi in pinguedine ſepulta cernuntur. Hoc non ſaltem in excernendis fecibus durioribus, ſed in Partu difficili etiam uſum habet egregium, ut ſcilicet cedere poſſit, quod minus fieret, ſi carnoſae muſculorum fibrae proximius adjacerent Vaginae Uteri: E contrario pinguedo haec in ſtatu praeternaturali multum ad Fiſtularum Ani generationem conferre obſervatur. Aperto thorace ante omnia fere in conſpectum venire ſolet Mediaſtinum, quod nil niſi duplicatura vel continuatio Pleurae eſt, et duos in utroque latere ſaccos efficit, ex quo patet, qua ratione particularis Mediaſtini Hydrops, cujus *Hippocrates* meminit, fieri queat. Nervus Octavi vel Vagi paris per collum in thoracem delatus ſemper ſuſpenſus ſuper partes vicinas Pericardium, Pulmones etc. incedit: Intercoſtalis vero ſtatim affigitur circa dorſi vertebras.

In *Splagnologiae* explicatione, cum partes Genitales Adoleſcentis 16 annorum nobis Anatomice demonſtraret, ſequentia de *Veſiculis Seminalibus*, *Vaſis Deferentibus et Venis Teſticulorum* diſcurrendo inſerebat:

Veſiculae Seminales firmiter adhaerent Veſicae Urinariae circa ſphincterem. Et videtur ſphincter aliquid conferre ad excretionem ſeminis in coitu, licet ipſae Veſiculae muſculoſas et carnoſas fibras etiam poſſideant, quae primario illas convellunt.

Vaſa Deferentia ad faciem externam Veſicularum ſita ſunt infra Ureteres, cum quibus Xiaſmum figura exprimunt. Contra *Obſervationes Anatomicas Lealis in Actis Eruditor.*

Lip-

Lipsiens. Ann. 1687 *p.* 229. recensitas, notandum, Vasa Deferentia non quodam communi ductu sed duobus plane distinctis, arcte sibi invicem adjacentibus in Urethram circa caput Gallinaginis terminari, quod immissis duabus setis porcinis et flatu per tubulum nobis ad oculum demonstravit. Idem *Lealis* male statuit Vasa deferentia, ubi circa Testiculos Epididymides efficiunt, ita constituta esse, ut explicari digitis facile queant. Contrarium propter frequentiores hic occurrentes anastomoses vidimus in praeparatis cera repletis.

Qui *Venas* negant e *Testiculis* redeuntes, stolidi sunt. Per injectionem enim mediante cera rubra ad oculum demonstrari possunt in satis magna quantitate et numero una cum suis Capreolis, qua occasione etiam *Venas Nutritivas Vasorum Deferentium* clare vidimus. Testiculorum substantia ex meris vasis capillaribus constat, quae vasa sustentantur per membranas vel dissepimenta plurima ex membrana Albuginea enata, quomodo e. g. in Cerebro videmus Piam Matrem facere. Extremitates autem illae vasorum capillarium non saltem a Venis atque Arteriis sunt, sed etiam a Vasis Deferentibus: Vasa haec per sepimenta membranae Albugineae sustentantur, ne comprimantur vel disturbentur, atque ita separatio seminis turbetur.

Si *Testiculus* saltem *unicus* adest in homine, alter plerumque in abdomine absconditur, atque ab imperitis Chirurgis saepius pro Bubonocele habetur. *Urethrae membrana interna* est productio membranae internae ten-

dinosae Vesicae Urinariae , et haec glandem Penis loco cutis obtegit : Hinc maximus ille dolor post sectionem calculi in glande Penis per consensum.

Vasa deferentia et Vesiculas Seminales comparat *Dn. Raw* cum ductu Hepatico et Cystide. Sicuti enim omnem bilem ex Hepatico ductu excerni , et superabundantem in Cystidem reverti videmus ; ita etiam in hoc organo sperma omne ex vasis Deferentibus adferri , superabundans autem in Vesiculas regurgitare , et tunc demum ex duabus Vesiculis per duos illos distinctos canales in Urethram tempore Venerei Congressus ejici , certum est.

Inter praeparationem Organorum Mulierum , de *Sinu Muliebri Veterum* , sequentia monebat . Notitia Sinus Muliebris , (qui post Carunculas sic dictas myrtiformes , et sub osse Pubis interius in Vagina observatur , atque in illis , quae semel saltem pepererunt capacitate sua pugnum facile admittit) usum habet egregium in Partus administratione , in specie difficilis : tunc enim manus Chirurgi vel Obstetricis , nisi inter infantis prominentis partes et Sinum hunc sub Osse Pubis applicetur , auxilium afferet nullum. Hic enim spatium manui vertendae sufficiens conceditur , cedente interim , quo deprimendae egredientis foetus partes , Coccygis osse.

Post Partum Difficilem et Embryulciam *Haemorrhagia Uteri lethalis* saepe accidit , et quidem ex hoc capite , quia separatis jam , putrescente et mortuo foetu , secundinis , Uterus propter restitantem foetus et Secundina-

rum

rum molem ſe conſtringere debito modo nequit, qua conſtrictione alias pori illi Sanguinem copioſius exſudantes, occluduntur.

Die I. Martii *ego* hujus Relationis Autor, et *Dn. Wickham Anglus*, fecimus experimentum de *Apertura vel Hiatu Tympani Celeberrimi Dn. D. A. Q. Rivini Profeſſ. Lipſ.* invento, immiſſo in tubam Euſtachianam argento vivo, quod ſtatim quidem per Tympanum ex Meatu Auditorio effluebat, locus autem, ubi praecipue, diſtingui non poterat. Putabat autem *Dn. Raw*, qui experimento praeſens erat, per poros membranae Mercurium currentem transſudare, accedente pondere, prout videmus per corium etiam eundem trajici poſſe, et talem Mercurii transgreſſum per ipſas Veſicae Urinariae membranas ſat validas, caſu ſe aliquando obſervaſſe, ſimul addebat. Ipſum hoc noſtrum experimentum in capite cadaveris pueri adoleſcentis ſedecim annos circiter nati, adornavimus. Interim pro *Excell. Rivini* invento Hiatu ſtare videtur commune illud experimentum, quod Tabaci fumum per fiſtulas ſugentes exercitatiores inſtituere omni tempore valent, ubi ſine ullis praeſtigiis, fumum, quem ore hauriunt, per aures reddere ſolent cum admiratione adſtantium, quibus facti veritatem manibus quaſi palpare tunc conceditur.

Sequuntur Operationes aliquot Chirurgicae, quas in Vivis ſubjectis Amſterodami adminiſtratas ipſe vidi.

Quamvis jam ſaepius laudatus et nunquam ſatis laudandus *Dn. D. Raw* omnes Operationes Chirurgicas in cadaveribus aliquot humanis, expoſitis antea omnibus ad rem facientibus Inſtrumentis Chirurgicis, quorum ſeleƈtiſſimum poſſidet apparatum, nobis demonſtraverit, earundemque repetitionem cum cautelis memoriae ergo ad calamum diƈtaverit non lubet tamen diƈtata illa; certas ob rationes in publicum emittere, ſed quaedam ſaltem de operationibus illis annotare, quas in Vivis aegrotantibus partim ab ipſo *Dn. D. Raw*, partim a *Pieter Adriaenſen et Dn. Boeckelmann*, Chirurgis Amſtelodamenſium Celeberrimis, adminiſtratas ipſe vidi, et quarum encheireſes poſtea domi chartae mandavi.

Exploratio Calculi Veſicae.

Die 21 Jan. 1707 veniebat ex Pago *Cromenic* Puer 16 annorum, incontinentia urinae ac doloribus in regione hypogaſtrica enormibus laborans. Indicia aderant Calculi, quo de ut certus eſſet Praeceptor noſter, ſequenti modo explorationem inſtituebat. Proſtrati ac reſupinati in pavimentum pueri caligis exuti virgam laeva apprehendebat, ac dextra catheterem incurvatum conſvetum, oleo prius madefaƈtum, in urethram intrudebat, eo quidem modo, ut catheteris pars incurvata primo perinaeum verſus duceretur, donec usque ad os Pubis venerat, quo in loco ſenſim catheterem invertebat, ita, ut partem incurvatam in cavitatem ventris dirigeret, atque ita

ta in veſicam ipſam ſtatim penetrabat. Nobis tunc etiam tractandi catheterem atque explorandi in hoc ſubjecto Calculum copiam dabat, et facillime quidem, moto hinc inde cathetere ſentiebamus lato ſatis ac grandi calculo eundem inſiſtere. His peractis promittebat ſectionem, remittente frigore hyberno, per agendam, atque interim patienti potum lactis calidi, loco potus ordinarii, injungebat. Cauſam autem incontinentiae Urinae a magnitudine calculi parietes veſicae continuo prementis, unde nunquam deſinens veſicae contractio atque involuntaria mictio, deducebat. Hanc Explorationis calculi operationem praeterire nolui. Sciendum enim, non minimam dexteritatis Chirurgicae laudem in apta Calculi exploratione poni, nec omnibus cum cathetere dextre procedere datum eſſe.

Lithotomia.

D. 17 Febr. anni 1707 ego et Dn. Wickham Anglus proficiſcebamur cum Praeceptore noſtro *Dn. D. Raw* Cromenicum, pagum in ditione Harlemenſi ſitum, ubi in puero illo, quem nuper exploraverat, Calculi ſectionem in praeſentia duorum dicti pagi Chirurgorum ac Conſulis adminiſtrabat, ſequenti modo.

Inſtratis arculae ſesquipedali altitudine a pavimento prominentis, duobus pulvinaribus, quorum alterum alteri ex parte erat ſuperimpoſitum, ſtratoque ſuper his mantili duos cubitos lato, quod in anteriori arculae parte pavimentum fere dependens attingebat, puerum veſtimentis usque ad induſium exutum, atque

in ventre fascia ligatum, ita locabat, ut posteriora ejus altius fere, quam ipsum caput essent posita. Tunc utrique pueri brachio circa carpum injiciebat vincula ex lana parata, quibus, repressis aliquantum pueri genubus, pedibus ejus manus alligabat et firmabat. Pedes ex utroque latere manu prehendens famulus divaricabat aliquantum, aliis duobus parastatis caput et ventrem pueri stringentibus, ne loco moveretur. His praemissis, et puero ita locato, ut posteriora ejus arculae oris incumberent, D. Raw inflexo altero saltem in pavimentum genu, se ante aegrotantem sistebat, et catheterem communem oleo madefactum virgae intrudens, calculum denuo explorabat, mox eundem extrahens, alium sulcatum immittebat, adeo profunde quidem, ut in perinaeo digitis eundem sentire posset, mox incisionem in sinistra perinaei, quatuor digitos a tuberositate ossis Ischii, et digitum latum ab Ano scalpello faciebat, quem incisionis locum catheter monstrabat versus perinaeum depressus. Erat autem scalpellum foliatum, pollicem fere latum, lanceolam communem figura exprimens, quod fasciola ita involutum erat, ut articuli digiti altitudine cuspis ejus denudata saltem emineret. Facta hac prima per cutim, pinguedinem et musculos incisione, itinerarium applicabat, et super hoc scalpello in collum vesicae usque penetrabat, tunc scalpellum vulneri infixum, manu firmiter tenendum mihi tradebat, ipse autem interea forcipem arripiens, eandem inter itinerarium ac conductorem, exttacto prius scalpello intrudebat, dilatatisque per dicta duo instrumenta vul-

vulneris labiis, prehenſoque cum forcipe calculo, feliciter eum extrahebat. Erat autem calculus extractus ovi gallinacei minoris magnitudinis, ſanguine madidus, atque ex altera parte tenuiſſima membranula obductus, ubi forte cum veſicae latere aliquantum coaluerat, ſphaericae de caetero fere figurae, ac ſaxi craſſioris arenoſi ad inſtar, inaequalis. Vulneri ſpongia deterſo nil niſi lintea carpta applicabat, idemque obligabat, impoſito ſaltem plumaceolo. Ita obligatus aegrotans lecto immittebatur, natibus autem pulvinar avena infarctum ſubſternebatur, ut urina ex vulnere ac fecibus ex alvo excipiendis inſerviret. Feneſtras cubiculi claudere jubebat, ne lux aegrotanti quietem impediret, pro concilianda autem hac, emulſionem anodynam pro lubitu uſurpandam porrigebat. Poſt operationem lecto jam traditus, de doloribus intenſiſſimis in glande penis querebatur calculo liberatus, quod per conſenſum accidit in omnibus, quem urethrae membrana cum interiori veſicae habet.

Die 7 Martii vidi aliam Lithotomiam ab eodem meo Praeceptore, in puero Hebraeo ſeptenni adminiſtratam, in qua praeter jam enarrata nihil ſingulare, niſi quod inteſtinum Rectum ſaepius inter clamores patientis prolaberetur, quod ſemper oleo madefacto digito reponebat, ne in operatione impediretur.

Paracenteſis Scroti.

Die 21 Febr. puer octennis Hydrocele la-

borans ducebatur ad *Dn. Raw*, quem perforato per instrumentum, Trocar appellatum, scroto ab aqua extravasata intra horae dimidiae spatium liberabat. In hac operatione observandum:

1. ne perforatione venas tangamus:

2. ut Acus applicetur in loco transparente, nec profundius, quam quousque transparet, adigatur:

3. peracta operatione, emplastr. de Cumino aut simile applicandum esse toti scroto:

Notandum etiam in Hydrocele vasa praeparantia ac deferentia digitis distingui posse: in Hernia e contrario cum intestino prolapso confusa esse. Quod pro signo diagnostico inservire poterit.

Caries ossis Tibiae.

Die 22 Febr. visitabat *Dn. Raw* Mechanicum, qui instrumenta Anatomica et Chirurgica perquam accurate et artificiosissime praeparare noverat. Hic in parte superiori ossis Tibiae laborabat carie, quo in loco novacula incisionem faciebat *Dn. Raw*, firmo nisu ad os usque scalpellum adigens, factaque incisione, labia vulneris, carnem luxuriantem separando, dilatabat, ut pro applicando cauterio locus pateret commodus. Osse enim carie infecto, fibrae musculorum carneae in parte cariosa abscedunt, & nunquam ossi iterum adnascuntur, nisi caries ablata fuerit. Cauteria autem eum in finem applicantur, ut vascula ossis cariem nutrientia extirpentur, quo facto cariosa pars separatur ultro atque abscedit,

dit, pro tempore lucrando a Chirurgo volſella auferenda. Ablata ſic oſſis parte carioſa, fibrae carneae felicius adnaſcuntur, et cum oſſe denuo coaleſcunt. Et tunc ſine omni periculo apertura illa carne iterum claudi poteſt.

Labii Leporini Sectio, a Piet. Adriaenſen, Fil.

Infantem ſex menſium, cujus vultus duplici Leporino Labio erat deformatus, Chirurgus paraſtata gremio ſuo excipiebat, ejusdemque caput ambabus firmiter tenebat. Alter Chirurgus operator ſcalpello labia, quae cum gingivis maxillae ſuperioris coaluerant, ſeparabat, et forficula quatuor extremitates vel oras fiſſurae praeternaturalis cruentabat. Hoc facto tres paratae erant Aciculae argenteae, altera extremitate tricuſpidatae, altera rotundae, ac ſuperficiali globulo inſtructae, ejusdem ac moduli maximi ſolent eſſe communes aciculae craſſitiei, longitudine tres pollices adaequantes. Hae tribus firmatae erant retinaculis, ac filio ſericeo purpureo firmiori inſtructae, fili autem extremitatem claudebat particula alutae orbiculata; Tunc aciculâ retinaculo firmatâ primo in ſuperiori fiſſurae loco penetrabat, ita, ut ex utraque parte minoris digiti latitudine a margine fiſſurae perforaret, quem perforationis locum etiam ex utraque parte dictae alutae particulae muniebant, circa aciculam autem transfixam filo ſericeo decuſſatim plexo, ter firmiter diſtantem vel hiantem labii fiſſuram conſtringebat: Secundam

dam aciculam in infima fiſſurae parte transfigebat, eodem ac in ſuperiori modo vulneris labia conſtringens: Tertiam vero aciculam in mediae fiſſurae parte applicabat. His peractis ac labiis quam poterat fieri accuratiſſime aequatis, uniuscujusque aciculae extremitates forcipe auferebat, ita tamen, ut quarta pollicis parte adhuc eminerent. Tandem loco vulnerato emplaſtrum in duabus extremitatibus fiſſum imponebat. Poſt operationem infanti potiunculam confortantem propinabat, quae ſimul collutioni oris cruore infarcti inſerviebat. Tertia poſt operationem die auferebat *Dn. Adriaenſen* aciculam medio loco applicatam, quarta illam, quae ſuperiori, et quinta, quae infimae fiſſurae parti erat transfixa.

Fractura cum Vulnere in medio oſſis Tibiae:

Patientis in commodo ſcabello locati os fractum menſulae imponebatur, ſubſtrato pedi pulvinare preſſius infarcto, tunc laeſo ab adſtantibus firmiter detento, pes altera Chirurgi manu circa calcaneum, altera ſuperius in dorſo pedis apprehendebatur, ac ſenſim, quantum ad repoſitionem ſufficiebat, extendebatur. Facta repoſitione, pedi applicabatur primo emplaſtrum Defenſivum circa extremitates fiſſum, ut firmius adhaereſceret, huic imponebatur ligatura ex linteis ad modum voluminis compacta (Eine Buch-Ligatur). Haec ex multis conficitur linteis planis, ita diſpoſitis, ut horum extremum quinque palmarum longi-

gi-

gitutidinem et duarum latitudinem habeat, interiora ſequentia gradatim in longitudine ac latitudine deficiant, quorum fere ſex debent eſſe numero in medio conſuta. Lintea haec circa oras bis fiſſa ſunt, et priusquam applicentur, ſpiritu vini madefiunt. Tandem ligaturam hanc et faſcias muniebat ferulis, quarum inferior ſuras ambiens latior erat reliquis lateralibus : illa enim tres pollices, hae duas ſaltem latitudine ſua exaequabant : locus Tibiae ſuperior vulneratus ſine ferula relinquebatur apertus. Ferulae ipſae tribus faſciis lineis ſufficienter conſtringebantur, mediam primo, deinde ſuperiorem, atque ultimo inferiorem firmando, ſimulque cavendo, ne ſtrictiori faſciarum applicatione noceamus, ſufficit nimirum ſtrictura, quae ſpathae intruſionem facile admittat. Pro meliori defenſione ab injuriis externis, pes laeſus in pulvinari molliuſculo tribus faſciis firmato reponebatur. Tandem grabato imponebatur patiens, elevato paulisper pede ; et ex utraque grabati parte alligato, ne hinc inde moveri ac laedi iterum poſſet. Poſt haec quotidie ſemel deligatio ſolvebatur, et vulnus ipſum plumaceolis ex filis carptis detergebatur, aliaque fila carpta melle roſaceo imbuta imponebantur, modoque jam fuſius deſcripto ſemper iterum deligabatur : Calcaneo, ut ab omni compreſſione liber relinquatur, pulvillus ex linteis confectus ſubſternebatur.

Amputatio Artuum.

In amputatione Pedis, hujus extremitas altius

tius locata esse debet, quam pars superior, quod impedit, ne sanguis tanto impetu ad partem amputandam ruere queat. Tunc instrumento Chirurgico, *Tournequet*, applicato, impeditur, ne cochlear quidem sanguinis effluat. Amputatio in parte carnosa cito fiat, minus vero in osse, ubi sensim et provide, ducenda est serra, alias facile os frangi potest. Amputatione peracta, deligatio non fiat oleis vel emplastris, nec arteriae forcipe constringantur, sed sufficit applicatio vesicae bubulae pulveribus adstringentibus atque emplasticis instructae, ex quibus optimus fungus pulverulentus, vulgo *Bovist*. Cavendum ab adstringentibus Vitriolatis. Ligatura in pueris ac macilentis non sit nimis fortis, alias facile gangraenam causatur, in obesis vero potest esse firmior.

Excrescentiae Uteri extirpatio.

Optime extirpantur tales excrescentiae per ligaturam, quae fit filo fortiori, bis eidem circumducendo ac firmiter constringendo, pondere plumbeo vel ferreo extremitati fili appenso. Sic intra tres vel quatuor dies decidunt. Levis inflammatio, quae a Ligatura oritur, non attendenda. Haec operatio a *Dn. Boeckelmann* d. 16 Decembr. 1709 in foemina quadragenaria, optimo cum successu peragebatur.

De Mammarum Scirrho et Cancro.

D. Bidloo Lugduno Amsterodamum vocatus

tus ad foeminam fcirrho Mammae dextrae laborantem, referente *Ruyfchio*, hunc fcirrhum pro Cancro habebat, eundemque manu fua exfcindere paratus erat. Aft *Dn. Ruyfch* fimul in confilium ante operationem vocatus, ftatim cognofcebat, non veram effe Cancrum, fed Scirrhum faltem, et applicato emplaftro de Cumino, intra quatuor dies tumorem diffipabat et curabat feliciter.

In Vero Cancro, five occultus ille fit five Exulceratus, optimum effe *Dn. Ruyfch* exiftimat, eundem non irritare, multo minus per calida difcutientia medicamenta acrimoniam ejus intendere: Securiffima tunc medicamenta effe Refrigerantia, Empl. de Ran. c. mercur., vel laminam plumbeam mercurio inunctam.

De Vulneribus Abdominis cum Procidentia Inteftinorum.

Ante omnia prolapfa inteftina digitis, vel inftrumento quodam obtufo rotundo reponenda funt: ubi cavendum, ne inteftina inter peritonaeum atque abdominis mufculos per errorem intrudantur, quod faepius accidit. Peritonaeum enim in vivis multo facilius quam in mortuis a mufculis abdominis feparatur. Quod fi inteftina, modo jam dicto, intra mufculos ac peritonaeum intrudantur, lethale eft. Gangraenam enim ftatim concipiunt. Idem accidit, quando inteftina prolapfa nimium fricantur et comprimuntur.

Fractura Offium Nafi.

Re-

Reponuntur haec oſſa per inſtrumentum ferreum vel ligneum ſpathae ſimile, quod goſſypio involvitur, ita, ut narium cavitati quodammodo reſpondeat: Hoc in nares ſenſim cauteque intruditur, oſſaque depreſſa elevantur. Exterius vero ope manus repoſitioni ſuccurrendum, donec, quantum licet, perfecte ſint reſtituta. Hoc facto cannula una vel altera, ſi neceſſitas poſtulet, naribus immittenda: quae cannula duabus auriculis ſit inſtructa, auriculae autem perforatae, per quae foramina trajecta fila ſuperius colligantur ac firmantur. Exterius poſtea empl. Defenſivum Vigonis applicatur, quod faſcia circumjecta in nucha firmatur.

DE HORTO AMSTELODAMENSI.

Ex Noſocomio in Hortum: Qualem, praeter Amſterodamum, univerſa Europa, nullum habet, exoticis ac rarioribus plantis adeo abundanter inſtructum. De ſituatione ejus, cultura et magnitudine, quae mediocris, nihil dicam: ſaltem de Plantis, Officinalibus praeſertim, et illis in ſpecie, quae rariores ſunt ſecundum *Catalogum Plantarum Uſualium Horti Medici Amſtelodamenſis Caſpari Commelini de anno* 1698 pauca adjiciam, Vidi autem ſequentes potiſſimum.

Kali, quae planta eſt caules protrudens late diffuſos, cubitalis altitudinis, craſſiuſculos illos, craſſitie ac colore Portulacae ſimiles, folia itidem craſſiuſcula, longa, ex lato principio in mucronem deſinentia, negligenter incurvata, circa quorum pediculos naſcuntur flores monopetali, quinque laciniis diviſi,

cum

cum fructu superstites, qui coloris punicei, cochleae ad instar intortus et singulari semine foetus est. Haec est planta illa, ex qua in Aegypto quondam, jam in Occitania Galliae etiam prope Monspelium, atque in Provincia Narbonensi, per incinerationem sal ad conficienda vitra purissima, paratur.

Inter omnes icones, quas Herbarii monstrant, nulla magis cum viva planta convenit, quam illa, quae apud *Lobelium p.* 479 *edit. Antverp.* invenitur.

Mandragoram plantam foliis prope radicem exeuntibus, obscure virentibus, subrotundis, late circumcirca in terram diffusis, Betae vel Lactucae similibus, foetidis: florem fert monopetalum regularem, quinque laciniis divisum, quem excipit fructus mollis, plerumque globosus, coloris lutei, in quo semina ut plurimum reniformia. Miror hanc plantam ab Autoribus Germaniae denegari, cum tamen ante aliquot annos ab Amico Vratislavia mihi transmissa fuerit radix, in Alpibus Giganteis (auff der Baude bey Schreiberau) reperta, charactere cum Anthropomorpha Veterum exacte conveniens.

Terebinthum arborem ramis cinereo cortice tectis raris atque extensis, foliis conjugatim ut in Sorbo nascentibus pinnatis cum uno semper in summitate impari, subrubentibus, lucentibus glabris, juglandis foliis fere similibus: Loco florum, ante folia, Verno tempore, e ramulorum tuberculis in longo racemo protrudere solet stamina apicibus purpurascentibus ornata.

Cassiam Fistulam arborem cortice et foliis

Juglandi ſimilem : cortex enim eſt planus, mollis, cinereus, folia multo plura quam in juglande, alata, ex quinque conjugationibus contexta, in extremo acuminata : Flores irregulares pentapetali, quales ſennae fere ſunt, coloris aurei, ſequente ſiliqua ſatis nota.

Orleanam, *Urucu Braſilienſium*. Erat arbuſcula bipedalis proceritatis, foliis Populi nigrae fere ſimilibus, hilari virore perfuſis, mucronatis, cum pediculis biuncialibus : Flores praeterito autumno produxerat Pentapetalos, albos ex parte incarnatos, ſequentibus folliculis lappaceis, hiſpidis, qui in duas partes dehiſcentes, plurima continebant ſemina coloris miniati.

Extractum e ſeminibus aqua ſimplici confectum, ad butyrum et pannos, itemque Succolatam tingendam uſus haud exigui eſt.

Curioſa etiam ſpectatu erant :

Euphorbium Verum, *Scadida Calli Horti Malabar*. duorum pedum proceritate e terra emergens, articulato, triangulari et quadrangulari ſtipite, marginibus ſinuoſis, anguloſis, e quorum angulis ſpinae duplices ſemper, craſſae, curtae, fuſcae, rigidae ac nitentes, emergunt.

Flores, uti *Dn. Commelin* ab *Henr. van Rheede* habet, in loco natali fert Monopetalos, quinque laciniis ſemilunaribus diviſos, craſſos, rigidos, planos ex viridi flaveſcentes : Ex florum umbilico ſtamina emergunt, floribus autem marceſcentibus ſuccedunt vaſcula ſeminalia tricocca, in quibus tria ſemina rotunda, extus cinerea, intus albicantia.

Ar-

Arbor Camphorifera : Caudex teres erectus, cortice dilute virescente, nitente amictus est: folia pediculis longis, tenuibus ex fusco spadiceis nixa, alternatim posita, palmam fere longa, duos digitos lata, margine aequali, nervosa, in utroque extremo angusta, superne nitentia, hilari virore praedita. quae contrita odorem spirant validum camphoratum. Hujus arboris nitidissima species, proceritate satis conspicua virum fere aequante, Dresdae etiam in *Domini Heigii*, deliciarum Hortensium Nutricii perquam Liberalis, Horto Exoticis plantis instructissimo, alitur. Hanc primus descripsit delineavitque *Jac. Breynius*, *in Centur. Plantar. Rar.* qui et ejus notas characteristicas et differentiales optime dedit *in Prodr. II Fascic. Rar.* Plantar. Nimirum quod arbor haec Camphorifera Japonica baccam ferat nuciformem, caliculatam, nucleo bifido callosо, duro ac pingui, cortice ac putamine integro, fragili, calice concavo. A Lauro differt dicto calice, ab arbore Canelli fera floribus e foliorum sede prodeuntibus foliisque alternis.

Cistus-Ledon : est suffrutex ramis frequentibus lignosis, foliis oblongis superne ex viridi nigricantibus, inferne candicantibus, odore fragranti svavi praeditis : flos magnae rosae instar albus, ast cujus petala circa ungvem ex purpura nigricante macula ornantur, floris umbilico multis croceis staminibus et apicibus pleno : vascula seminalia quinque vel potius multicapsularia. Hujus arboris Resina pharmacopolis nostratibus, nomine Ladani, notissima est.

 Sty-

Styrax Liquida C. Bauhin : quae arbor eſt Virginiana , a *Rajo* Platanus Virginiana Styracem fundens appellata. Caudex cortice gryſeo amictus , ſuperiori parte ramoſus : folia incondita , pediculis teretibus rubentibus pendentia , per ambitum profunde ſerrata , foliis Aceris ſimilia , ſuperne ſaturato viridia , inferne incana , ſaporis amariuſculi cum adſtrictione , hyemali tempore decidua. Fructus *Rajus* ait pilulas eſſe rotundas Platani pilulis ſimiles. Vid. etiam tota ejus , aſt ſine floribus et fructu , figura in *Horto Amſtelod. Tom. I. fig.* 98.

Arbor Benzoinifera : Arbor Virginiana Citriae vel Limoniae folio Benzoinum fundens , Hort Amſtelod. P. I. fig. 97. Eſt Arbor Virginiana , caudice recto , cortice fuſco , ramulis vireſcentibus : folia alternatim inſident , Limoniae aut Citriae aemula , tactu tamen molliora , ſubſtantia tenuiora , adverſa parte hilari viriditate , averſa albidiori praedita , in utroque extremo anguſta et mucronata ; manibus contrita odorem ſpirant ingratum : florem eo tempore menſe ſc. Februario , monſtrabat luteo-herbaceum , exiguum , pentapetalum.

Sebeſtena Domeſtica. Arbor erat quinquepedalis altitudinis , caudice cortice ſcabro fuſco : rami foliis inordinatis pedunculis longioribus ſuffultis , erant veſtiti , oblongo-rotundis , Alii aemulis , mucronatis , craſſioribus , nonnihil rugoſis , margine inaequaliter ſerratis , ſuperne ſature viridibus , inferne dilutiori virore perfuſis , deciduis : flores habebat , menſe Martio , pentapetalos , ramulorum cymis inſidentes , albicantes , ſuaveolentes. Fru-

ctus

ctus in Horto Amstelodamensi nunquam quidem in arbore visus, Medicis tamen atque Aromatariis notissimus, atque in pectoris affectibus commendatus. Arbuscula autem haec ex ossibus fructus provenerat.

Hae sunt plantae, quae eo tempore vel proceritate insigni atque in Europaeis regionibus rariore, vel floribus ac fructibus conspicuae, Hortum Amstelodamensem ornabant. Aliae quidem erant plures Exoticae, ast quae meo tempore vel non florebant, vel propter teneriorem juventutem curiosiorem contemplationem ac descriptionem nondum admittebant. Tales erant:

Aristolochia longa, offic. *Est longa vera, Bauh. Pinac.* folia habet rotundiora et minora, prae Aristolochia Rotunda, pediculis etiam instructa: flores breviores colore viridiores, qui in Rotunda atropurpurascentes sunt, secundum *Remb.* Dodonaeum Part. III. Lib. XI.

Cuminum verum, Cuminum semine longo, Bauh. Pinac. Accuratiorem prae aliis hujus figuram invenimus apud *D. Rivinum Ordin. Plantar. quae sunt flore Irregulari Pentapetalo.*

Ferula Galbanifera, seu *Ferula Galbanifera Africana Lygustici foliis et facie. Hermanni Parad. Batav. p.* 163: ubi laudabilis icon. Haec species pro Galbanifera vulgo habetur, quamvis adhuc incertum sit, ex hac, an ex alia Galbanum colligatur. vid. *Herm. l. a.*

Anchusa floribus puniceis C. Bauh. Hujus radix roseo colore tingens dicitur *Radix Alkannae* in officinis, quamvis vera Alkanna sit

Ligustri species Orientalis, quae in nostris officinis non reperitur.

Cassia Lignea est species arboris Cinamomiferae *Cassia Lignea et fusca aromatica. J. B.* Sunt autem Cassia Lignea, Cinamomum, Canella, Folium Indum seu Malabathrum, aromata illa officinalia omnia, partes, si non unius ejusdemque speciei, loco natali aut cultura saltem differentis arboris, ut multorum est opinio, exiguae tamen differentiae. Ut non male in hortis arbor Cinamomifera pro cognoscenda origine dictorum aromatum proponatur communiter, donec India Or. alias etiam hujus generis species, dicta simplicia proferentes, nobis suppeditet. vid. *Horti Medici Amstelodam. Plant. Usual. Catalog. p. 60.*

Indigo, *Nil*, *Anil seu Indigo Indica. Morison. H. Ox. p. 202. Ameri Hort. Malabar.* ubi exactam ejus habemus figuram *Tom. I. tab. 54.* Est autem arbuscula hominis altitudine, nascens in arenosis et petrosis: foliorum habet quina et septena paria cum uno in vertice impari in eadem costa, quae Coluteae similia fere sunt, coloris ex viridi subcoerulei: flores spicatim profert papilionaceos parvos, siliquas autem parvas, etiam teretes, unciales, cum semine glabro, cylindraceo. Haec arbuscula tempore pluvioso et aestivo bis in anno dat flores. Ad *Emerum Tournefortii* seu *Coluteam scorpioidem Casp. Bauh.* referri posset, ob siliquas non articulatas et cylindraceas. Vocatur *Colutea Herbacea* a *Casp. Commelino in Flora Malabar.* quo referri etiam videtur ab *Hermanno in Hort. L. B.* Apud *Casp. Bauhi-*

num

num in Pinace Indigo et Glastum vel Isatis Thuringorum sub eodem inveniuntur genere. Cum tamen Glastum nostrum sit planta annua, flore regulari tetrapetalo, fructu unicapsulari oblongo. Quod de caetero praeparatum illud attinet, quod in officinis sub nomine *Indigo* prostat, et a tinctoribus praesertim usurpatur, est illud succus defaecatus ex ramis et foliis arbusculae Anil, inspissatus. Simile pigmentum praeparabatur olim ex Thuringorum Glasto, et ab Indico non nisi colore minus exaltato differebat. Dicitur autem Indici colorem accessione calcis vivae exaltari; quapropter etiam lanae et lintea hoc ipso tincta in recessu minus bona, nec tam constantis coloris esse observantur.

Gummi Anime, Arbor Siliquosa, ex qua Gummi Anime elicitur. Descriptionem hujus arboris invenimus quidem jam apud *Pisonem L.* 4. *c.* 9. *H. N. p.* 123. Foliorum autem et fructuum optimam figuram apud *Leon. Pluckenet. tab.* 82. sub nomine *Ceratiae Diphyllos Antegoava dictae.*

Vanilla, Banillus et Vagnillus Offic. Est *volubilis siliquosa Mexicana foliis Plantaginis, Jo. Raji. Hist. Plant.* Ab *Hermandez*, qui primus dedit ipsius plantae figuram, appellatur *Tlixochitl, flos niger et Aracus aromaticus, Hist. Nat. p.* 38.

Cacao, Amygdalifera, Guatimalensis, Bauh. Pin. Cacava Quahvitl. seu arbor Cacari, Cacavifera Hernandez. Novissimam descriptionem hujus Plantae exoticae, quae in arboris satis procerae altitudinem tractu temporis excrescere solet, dedit *Clariss. Plume-*

rius in libro *Nova Genera Plantarum Americanarum* inſcripto, *Pariſ.* 1703. *in* 4. *edito*. Et florem habere dicit regularem pentapetalum, cujus piſtillum abit in fructum Cucumiformem alatum, inaequalem, ſeminibus foetum, in quinque ut plurimum acervulos collectum oblongos, in multas veluti amygdalas fiſſiles.

Seſamum Verum: cujus exactam figuram *D:* *Rivinus* habet in *Ord. Plantarum*, *quae ſunt flore irregulari monopetalo*: et haec iconi in ipſo *Horto Malab. T. IX tab*: 54 delineatae, ubi Malaica lingua *Schit-Elu* appellatur, praeferenda omnino videtur. *Tournefortius Seſamum Digitalis ſpeciem* facit.

Bombax fruteſcens, *Goſſypium ſeu Xylon fruteſcens ſem. albo. C. B. Pin. Goſſypium herbaceum ſeu Xylon. J. B. T. I. p.* 343. Ex hac potiſſimum ſpecie, cujus figuram vide apud *Matthiolum et Hernandez p.* 308 colligitur in Aſia minori, tanta lanuginis copia, quae Baum Wolle noſtratibus audit. Veriſimile autem eſt, Goſſypium l. lanuginem hanc et ex arboris cujusdam ſpecie colligi, unde Germani mercatores denominandi occaſionem ſine dubio ſumpſerunt, licet ad idem genus a Botanicis referenda. Naſcitur enim in Indiâ Orient. arbor, quae *Goſſypium arboreum flore flavo ab Hermanno in Hort. Acad. L. B. et Cudu-Parili in Hort. Malabar. T. I.* appellatur, ut et aliae ſpecies, de quibus videri merentur *Tournefort. et Pluckenet*. Goſſypio vel Xylo huic in genere flos eſt regularis monopetalos, inſtar Ketmiae vel Alceae, cujus piſtillum abit in fructum ſubrotundum, membranaceum, multi-capſularem, ſemini-

bus

bus repletum fuſcis circumcirca lanugine albiſſima involutis. Praeterea in Indiâ Orient. aliae reperiuntur arbores excelſae Lanigerae, a Xylo genere diverſae, quarum fructus nobis lanuginem ſericeam ſuppeditant, Seidene Watten dictam, quae quidem, uti Goſſypium in fila duci nequit, pro culcitris tamen, togis Japonicis et ſtragulis farciendis, propter ſericeam mollitiem, aptiſſima eſt.

Harum duae potiſſimum dantur ſpecies.

1. *Capock et Panja-Panjala Horti Malabar. T. III. Arbor Lanigera Bontii et Cluſii, Goſſypium Javanenſe Salicis folio, C. B. Pin.*

2. *Moul-Elavou Hort. Mal. T. III. Arbor Lanigera ſpinoſa Malabarica, Commelin not. ad Hort. Malab.* caudice ramisque ſpinoſis et florum magnitudine coloreque purpureo et fragrantia potiſſimum ab antecedente diſcrepans. Utraque haec ſpecies ſecundum *Hort. Malabar. in deſcriptionibus* florem habet regularem pentapetalum, cujus piſtillum abit in fructum oblongum Cucumiformem, cortice duro praeditum quinque capſularum, ſeminibus ſericea lanugine involutis refertum: folia inſtar Viticis ex pluribus aliis ex eodem centro in orbem diſpoſitis, compoſita ſunt; ſimplex folium, ſalicis aemulum, aſt latius eſt.

Curcuma. Eſt radix Curcumae radice longa, Cyperi genus ex India Matthioli, C. B. Pin: Curcuma foliis longioribus et anguſtioribus Jacob Breynii Prodr. II. Manjella-Kua Horti Malab. T. II. tab. 21. *Figura*, quae in *Hermann. Hort. Acad: L. B.* reperitur, praeſtare videtur prae illa, quam *Hort. Malabaricus* habet. Plantam ipſam optime nobis ſub

Cannae Indicae figura concipere possumus, utpote cum qua et folia et crescendi modus conveniunt. Florem habet irregularem monopetalum, quem *Tournefort.* nominat Liliaceum, multifariam scissum, cujus calix abit in fructum tricapsularem; adeoque plantam hanc laudatus auctor Cannae Indicae, quam *Cannacorum* vocat, speciem facit, nominatque *Cannacorum radice Crocea* seu *Curcumam Officin. Instit. Rei Herb. p.* 367. *Hermannus l. a.* simili ac Curcumam fructificatione gaudere nos docet *Bengalam Indorum*, *Cardomomum majus et minus*, *Costum Arabicum*, *utramque Galangam*, *Zedoariam*, *Zerumbet Garziae et Zingiber*, unde una cum Curcuma sub eodem genere summo reponenda censet. Et hoc, ut ego quidem observavi, non sine ratione, siquidem et in alia adhuc maxime notabili proprietate plantae hae conveniunt, quod caulem flores et fructum ferentem plane singularem ex ipsa radice ad latus protrudant, a caule foliato plane diversum.

Zingiber in specie quod attinet, invenitur illud sub nomine *Inschi vel Inschi Kua in Hort. Malab. Tom. XI tab.* 23. Ubi iconem vide, ex qua liquet non exiguus *Morisonii* error, qui *Hist. Oxon. Part. II. p.* 350 Iridis speciem pro Zingibere descripsit ac depinxit, cui errori folia Irina, quae potius tamen arundinacea, ansam dedisse videntur. Male quoque *D. Doct. Valentini* Clarissimum *Hermannum a Morisonii* partibus stare tradit, cum contrarium ex *Hort. Acad. L. B.* sub Curcumae descriptione appareat. Illa enim verba, quae de hac radice in *Hermanni Cynosura Mate-*

teriae Medicae nuperrime edita reperiuntur, ſuppoſititia credo.

Eſt autem Cynoſura haec Colleg. M. S. in Mater. Medic. a Celeberrimo viro olim habitum, aſt publicae luci nunquam in illa, qua apparet forma, deſtinatum: foetus, quem pro ſuo non agnoſceret, ſi in vivis adhuc eſſet Clariſſ. ille Botanicus; adeo enim mutilus eſt, et infra doctorum expectationem, ut tanti Viri famam non parum obſcuret.

Cardamomum minus Offic. Cardamomum ſimpliciter Officinis dictum C. B. Pinac. Eſt fructus plantae *Elettari* dictae ſecundae *Horti Malabar. Tom. XI. tab.* 4. *et* 5. Praeter hanc Cardamomi ſpeciem, dantur adhuc duae aliae: *Amomum Offic. vel Amomum racemoſum C. B. Pin. Elettari prima Horti Malab. Tom. XI tab.* 6. a quibusdam male Cardamomum majus vocatur: *Cardemomum* enim *majus verum Offic. et Bontii*, ſextuplo fere minori in fructu longius eſt, a quibusdam *Cardamomum longum* ſalutatur. *Grana Paradiſi* Cardamomis etiam a quibusdam accenſentur: In Officinis aliquando haec Cardamomo majori ſubſtituuntur, aſt inſigni errore, cum ad Piperis acrimoniam ſapore ſuo quam proxime accedant. Figurae plantarum, quae Cardamomum ferunt apud *D. Valentini in Muſ. Muſeor.* plane fictitiae ſunt, ab infelici *Pometi* delineatione deſumptae.

Senna Alexandrina Offic. ſenna Orient. Tabernaemont. cujus figura licet ligno ſaltem inciſa, corruptae *D. Valentini* omnino praeferenda. Pertinet ad ordinem Plantarum, quae flore ſunt irregulari pentapetalo. *D. Rivinus* figu-

figuram quidem hujus Officinalis Sennae huc usque in Opere suo nullam dedit, bene autem *Tournefort*. qui Sennam refert ad classem Arborum et Fruticum flore Rosaceo, cujus pistillum abit in siliquam compressam.

Scammonium Offic. Planta, ex cujus radice colligitur Scammonium: dicitur a Botanicis *Convolvulus Syriacus*, *e. g. a Morisonio Hist. Ox. P. II p.* 12 *Scammonia Syriaca C. B. Pin.* 294. Optimam apud *Lobelium* invenies figuram, ex qua suas postmodum mutuati sunt alii. *D. Valentini* icon quidem convolvulum refert, ast plane a verô diversum, utpote qui folia habet sagittaeformia, minime autem, uti *Valentini* figura, cordata.

Guayacum Offic. *Guayacum magna matrice C. B. Pin. Guayacum American. primum fructu Aceris seu legitimum Jac. Breynii Prodr. I.* Est arbor tractu temporis in satis magnam proceritatem excrescens, ramis circa genicula aliquantum nodosis, cortice inaequali fusco tectis: folia habet subrotunda, quatuor in quavis costa, conjugata, crassa, Lentiscina: fructum etiam vidi exsiccatum summitatibus ramorum adhuc insidentem, Aceris fructui, exceptis aliis foliaceis, simillimum.

Lignum Sanctum Offic. A Guayaco differt colore, qui in sancto albidior est, caeterum viribus fere convenit. Arbor, quae Lignum Sanctum suppeditat, dicitur *Guayacum propemodum sine matrice C. B. Pinac. Guayacum American. alterum fructu Evonymi Jac. Breynio Prodr. I. foliis Lentisci eidem*, *Prodr. II. Hoaxacan Hernandez. p.* 63. Congeriem synonymorum in uno nomine dat *Leon. Pluckenet.*

Phy-

Phytograph. tab. 94, dum *Jasminum vulgo Americanum et rectius Evonymo affinem Occidentalem, alatis Rusci foliis, nuciferam, cortice ad genicula fungoso, nominat.*

Balanus Myrepsica, Nux Been Offic.: In Juventute arbuscula haec monstrat surculum folia emittentem ramosa, quibus adhaerent foliola Heliotropii similia. Figuram talem accuratam et curiosam vid. apud *Tob. Aldinum in Hort. Farnes. p.* 73.

Thymelaea foliis Lini, cujus grana Gnidia appellantur ab aromatariis. Figuram cum Natura convenientissimam habet *Carol. Clusius Hist. Rarior.*

Sanguis Draconis. Arbor in Horto Amstelodam. tunc videnda, ex qua Gummi hoc colligitur, erat *Palma prunifera foliis Juccae, Draco arbor C. B. Sangvis Draconis* optimus autem in India Orient. ex arboris spinosissimae μονοβλάςϐ strobilis a Malajis Jananisque colligitur. Arbor strobilos hos proferens est *Palma Conifera* spinosa, quam optime et curiosissime describit autopta *Engelbertus Kempfer, in decade observat. Exoticarum* sub titulo *Dsierenang*, satis diffusa relatione. Quae *Clariss. auctoris dissertatio Lugduni Batavor.* 1694 edita, eo magis digna ut legatur, cum praeter allegatum *Dsierenang*, et alia non minus rara et curiosa, ut *Agnum Scyticum vel putatitium illud Muscorum Zoophytum Barometz* vulgo dictum, *Asphaltum Caspii maris, Mumiam nativam Persicam Moyminahi* in spelunca petrosa prope Urbem Dara reperiundam, *Torpedinem sinus Persici, Moxam Chinensium etc.* describat, quae omnia in locis suis natalibus

ipse

ipſe perluſtravit auctor. Dicta arbor ſanguinem Draconis fundens, *Palma-Pinus a Caſp. Bauhino appellatur*, *Rotan ſeu Arundo caule farcto* à *Bontio*. Notari enim meretur, duo potiſſimum eſſe Arundinis apud Indos genera: alterum caule farcto, quod *Rotan* a Malajis et Javanis vocatur, alterum vero caule cavo, quod *Bambus* appellatur. Ex hoc poſteriore, *Bambu Piſonis*, colliguntur, quod incidenter annotare operae pretium duco, in India primi ſtolones vel teneriora germina, quae adjectis Aurantiorum ac Limonum immaturis fructibus, Allii radicibus, Capſico, Zingibere et aliis quibusdam aromatis, additoque aceto, vel acida quadam muria, condiuntur, atque in Europae diverſas regiones transmittuntur a mercatoribus, quale condimentum Magnatum menſas hodie ornat ſub *Aſiae vel Acciae Bambus* nomine. Notandum etiam quod hoc Arundinis genus Bambus dictum in tantam apud Indos proceritatem excreſcat, ut naviculae inde extrui queant, teſtis *Guil. Piſo in Mantiſſ. Arom. p.* 186. Ex adulta hac planta *Bambus*, ſuccus colligitur a ſole exiccatus, qui *Tabaxir Avicennae et Arabibus* dicitur, et veterum Saccharum fuiſſe creditur, colore lacteus, ſubſtantia admodum rara, ſpongioſa et poroſa, levis, et guſtatus inſtar Boli vel unicornu foſſilis Linguae tenacius adhaerens. Haec occaſione *Aſſiae Bambus*. Aliud non minus aeſtimatum a delicatioribus condimentum eſt, quod *Soia* communiter appellatur, pretioſius adhuc, ex India Orient. non minus, vel potius Japonia, ad nos perveniens. Hoc, prout *Clariſſ. Hermannus* quon-

quondam *Domino Sherard Anglo* communicavit, ex certa ſpecie Phaſeolorum in Japonia praeparatur. referente *Sam. Dale in Pharmacologiae ſupplement. p.* 182.

Arundo Saccharifera C. B. Pinac. Tacomaroë Piſon. Nulla adhuc apud Botanicos accurata ejus figura aut deſcriptio proſtat. Fortaſſis autem *Clariſſ. D. Hans Sloane* hunc defectum in *Hiſtoria Inſulae Jamaicae Naturali* noviſſime edita, ſupplevit. A *Tournefortio in Inſtit. Rei Herb.*, quod mirum, hoc plantae genus omiſſum, fortaſſis propter characteris incertitudinem. Dicitur autem *Arundo Saccharifera* in Indiis paniculam protrudere floſculis ſtaminoſis et ſeminibus Miliaceis ornatam.

Haec ſunt, quae mihi Amſterodami per ſemeſtre fere commoranti pro augmento Artis noſtrae obſervare atque annotare curae fuerunt. Nihil de Urbis hujus, Celeberrimi Europaeorum Emporii, ſingularibus adjicio, utpote quorum pleni ſunt Itinerariorum Libri et peregrinatorum ora atque diſcurſus. Studiis meis intentus, alias curioſitates vidi quidem, aſt fugitivo oculo, et in ſpem futurae oblivionis, ut neceſſaria eo firmius inhaererent.

Vergente autem ad finem Aprili menſe, anni 1707 ſarcinas collegi, atque Hollandiae dicens vale, reditum in patriam per *Noviomagum et Coloniam Agrippin.* adornavi. Hunc itineris tractum conſulto elegi, partim quia eandem, qua veneram, viam repetere taedioſum erat, partim, quia *Coloniae* Patrum Societ. Jeſu Collegium et Bibliothecam viſere in vo-

vótis habebam. Per Octiduum itaque COLONIAE commoratus, dictam Bibliothecam ingredi ac lustrare plus simplici vice licuit. Laudanda enim Rev. Patrum erga exteros humanitas, siquidem omnem, quam poterant, de bibliotheca sua notitiam benevole et mihi impertiebant. Commendatus mihi aliquando ab illustri quodam Viro, Musarum Patrono, liber rarissimus, in hac ipsa Patrum Jesuitarum Bibliotheca inventus et visus, *Asverii Icones Virorum Illustrium* puta, Argentorati olim impressus, quem praeter dictas Philosophorum, imprimis eorum, qui Adeptos se nominare solent, icones, vitas etiam et res gestas cum nervosa doctrinae eorum sciagraphia comprehendere narrabat. Hunc in laudata jam Bibliotheca quaesivi sedulus, Bibliothecarium, ut suppeditaret librum, continuo fatigans. Ast frustra egi omnia: Bibliothecarius talem nunquam vidisse sancte testatus est, et catalogi tam Manuscriptorum quam impressorum Codicum nec volam nec vestigium hujus libri monstrabant. De caetero non veterum saltem sed recentiorum etiam Codicum sat magno numero haec Bibliotheca instructa est, atque in eo cum magnificentia adjacentis Templi atque Collegii optime congruit. Templum enim hoc Jesuitarum, universae Coloniae nitidissimum si appellaveris, non errabis. Quod Cathedrale enim illud attinet, a sepultura Trium Magorum Regum per totum Orbem celebratum, hôc, nitore ac magnificentia longe est inferius. Immensi quidem operis aedificium illud est, sed irrito labore non ultra mediam partem erectum, imo

cho-

chorum si excipias, totum aedificium vastissima potius veteris architecturae Gothicae rudera, quam Aedem Sacram, repraesentabit. Ex reliquis Urbis hujus Templis atque Sacellis, quorum numerus ad trecenta fere ascendere vulgo dicitur, inter praecipua numerantur *S. Gereonis*, et *S. Ursulae*, quorum postremum reliquias undecim millium Virginum Martyrum continere creditur. Est aliud Sacrarum Virginum Collegium et Templum Coloniae, quod *a Diva Maria Virgine* nomen habet, in quo vidi atque audivi Virgines ex Nobilitate Coloniensi oriundas, quae horas singulari ac ridiculo fere habitu vestitae, dictim cantare, instar Canonicorum, tenentur. Hae collaria gestant ex subtilissimo linteo, eâ figura, qua Lipsiensium Sacerdotes Sacra administrantes uti solent, confecta, superhumerali ex rarissimo sindone a tergo pendente praeterea ornatae, de caetero a capite ad calcem usque, ad hodiernum Gallicae nationis genium amictae, quod curiosis advenis non nisi rarissimum spectaculum praebere potest. Videri etiam in hac antiquissima Germaniae urbe meretur *Carthusianorum Collegium*, quod *Celsissimus atque Eminentissimus Saxoniae Dux et Cardinalis ex Cizensi Linea* oriundus, Archi-Episcopi vicibus, sedem deserente Bavaro, fungens, erogatis perquam liberaliter ex proprio sumptibus, reficere nuperrime curavit. Fuit enim hoc Collegium, prae reliquis omnibus Coloniae Conventibus, Eminentissimo Principi gratum, utpote quod, tanquam amoenissimum suum secessum, frequentius visitavit, aliquando etiam non sine

K sum-

ſummo vitae periculo , quod ipſi a Gallico praedone et conductis aliis quibusdam latronibus , in via illa , quae a palatio ejus ad Carthuſam ducit , uti ex hiſtoria temporis noſtri pernotum eſt , imminuit. Prior vel Generaliſſimus Carthuſiani Ordinis nuperrime hoc Monaſterium Digito donavit ex reliquiis S. Brunonis deſumpto , quod depoſitum tanto magis aeſtimatur ab his Monachis , quod Brunonem civem Colonienſem olim fuiſſe , ex hiſtoria Ordinis hujus conſtat.

Colonia FRANCOFURTUM diſceſſi , ubi a *Dno Heiſter* , Oenopola, cujus cum Filio Amſterodami conjunctiſſime vixeram , perquam humaniter exceptus , et hôſpitio dignatus , durante Nundinarum tempore , per decendium fere commoratus ſum , Medicos et Pharmacopoeos hujus Urbis interea temporis conveniens frequentius . Prae caeteris , Humaniſſimi Viri *Dn. Nicolai Saltzwedelii* , Pharmacopoei , Officinam inſtructiſſimam ſaepius frequentavi . Hic auri portiunculam mihi monſtravit , quam ex plumbo transmutatam nuperrime oculis ſuis viderat. Artiſtam Adeptum , hujus metamorphoſeos autorem , jam in Weſtphalia , non procul Monaſterio , in pago quodam degere narrabat, quo cum frequens adhuc literarum de rebus Chemicis ſibi eſſe commercium , ſimul aſſerebat . De Transmutationis modo , cujus non ſolum oculatus teſtis ſed experimentator etiam fuit , ſequentia communicabat : *Chemicus ille , qui arti Pharmaceuticae addictum ſe profitebatur , Tincturam liquidam fuſci coloris , odorem fere admodum olei C. C. de ſe ſpirantem , habebat: il-*

illius beneficio, mediantibus quatuor saltem guttis, drachmam plumbi in verum aurum, 23 Carath et 7½ Gran. in Marca integra continens, transmutabat, plumbo, cui guttas primum superfuderat, modico igne liquefacto. Factum hoc in propriis memorati jam *Dni Saltzwedelii* aedibus, mense Majo, anno 1702. In sui memoriam reliquerat Hospiti huic suo, aliquot dictae Tincturae guttulas, quibus postmodum Projectionem ipse felicissime instituit, asservata, in perpetuam rei memoriam, dicta Auri Chemici portiuncula, et vitro, obscura quaedam vestigia liquoris illius fusci cum odore, adhucdum referente. Et ita Francofurti obscura quaedam Chrysopoeïae vestigia oculis usurpare licuit. Num verò inter veros Artis Auriferae possessores Chymicus ille referendus sit, vel ideo dubito, quod aurum illud transmutatum nondum justum Obryzi pondus 24 Carath attigerit, cum tamen unanimi Alchymistarum consensu, pondus Auri nativum superari a Chymico illo debeat. Dolenda enim infelix Divinae artis sors, quod tantus numerus muscarum et papilionum vagantium splendorem Solaris hujus luminis radiantem turbet, qui tamen proprias tandem comburunt ipsi alas, et ridiculos enituntur mures pro montibus aureis, plerisque autem ingenuis Viris, atque illis praecipue, quibus technis suis imposuerant, occasionem suppeditant maledicendi universo Adeptorum coetui, dum, si Atheum, Scurram, Scelestum, Fraudulentum aliquem nominare voluerint, unica Alchymistae voce id proferant. Tales Imposturas olim mortis supp-

plicio ſolvit *Bragadinus*, qui poſtquam Venetorum Senatui impoſuerat, a Sereniſſ. Bavariae Duce ſuſpendio publice punitus fuit; et noviſſime ille ſic dictus *Comes Cajetanus*, qui, nunquam ſatis laudando Potentiſſimi Regis Boruſſiae juſſu, eodem ſupplicii genere hac noſtra aetate affectus eſt. De caetero, uti mihi quidem videtur, fatendum omnino, hinc inde proſtare exempla ſatis illuſtria et fide digna, ubi ſine omni impoſtura et fraude, mediante Tinctura quadam, vel concentrata in maſſa mediae conſiſtentiae, vel liquida etiam plumbum vel Mercurius in aurum optimum fuit converſus: nihilominus ſcrupulus et quaeſtio remanet, an non, ſi de projectionis et transmutationis ingenuitate certiſſimi etiam eſſemus, Tinctura illa ſit Auri Anima, ex ipſo nobiliſſimo metallo ſingulari et arcano artificio extracta, hinc non niſi determinatae quantitati tingendae ſufficiens. Quale divinum artificium olim Monachis, qui Orientales Orbis partes incoluerunt, notum fuiſſe, quidam de Transmutatione Metallorum ſcriptores Hiſtorici aſſerunt. Verum enim vero quanti ab hoc artificio expectandi ſint theſauri, quilibet ſanioris mentis homo pervidet facile; niſi forte Augmentationis arcanus proceſſus in auxilium venerit, quo dicta Auri quinta eſſentia vel Anima ita exaltari poteſt, ut una ejusdem pars 16470 mercurii partes tingendo transmutare, teſtante *Zwelffero in Mantiſſ. Spagyrica P. J. c. 1. p.* 328. valeat.

Habes hic omnia, *Amice Integerrime*, quae in Itinere meo tam Anglicano quam Batavo notanda, et ab oblivione, facta hac

Re-

Relatione, vindicanda mihi visa sunt. Fortassis nonnulla ex his, si non utilia, grata tamen Tibi erunt, quia Amcitiae Nostrae in Academiis olim contractae, et huc usque per mutuum literarum commercium excultae, tanquam publicum semper extabunt testimonium. Nullum invenies in tota recensione fucum, nihil ementitium, quae vitia, in hoc scribendi genere, vel maxime vitanda esse existimo. Extra sphaeram meae scientiae et Artis non facile divagatus sum, ita mecum semper statuens, non parum utilitatis redundaturum fore in publicum, si unusquisque cui exteras regiones visere licet, illa observata, quae Professioni suae et genio congrua sunt, cum publico fideliter communicet, reliqua aliis, ut investigent, relinquens.

S. D. G.



CATALOGUS LIBRORUM NOVORUM

Apud JANSSONIO-WAESBERGIOS Prostantium

Anno 1711.

Nicol. Bergius de statu Ecclesiae et Religionis Moscoviticae Exercitatio. 8.

Jos. Henr. Opitii Hodegeticum Hebraeo-Chaldaeo-Biblicum. 8.

Gottlob. Frid. Seligmanni Exercitationes Historico-Philosophico-Theologicae. 8.

Jo. Henr. Bergeri Supplementa ad Electa Juris prudentiae criminalis Pars II. Accessit Disquisitio, utrum a Principe temperari pœna adulterii possit. 4.

Engelberti Burg Orationes et tractatus de abusu commerciorum et Appellationum, Ratione status etc. 4.

Casp. Henr. Hornii de libro Metallico qui antigraphus dicitur Schediasma. 4.

Joan Caroli Naevii de Juramentis, illicitis, Temerariis, inofficiosis etc. 4.

Jo. Freind Emmenologia, in qua fluxus Muliebris Phaenomena, Periodi, vitia, cum medendi Methodo, ad rationes mechanicas exiguntur. 8.

Theod. Valent. Kramer Medicina Docens et ducens. 8.

Joan. Raji Methodus Plantarum emendata, et aucta. Accedit Methodus Graminum, Juncorum et Cyperorum specialis 8.

Bohusl. Balbini Verisimilia Humaniorum Disciplinarum seu Judicium Privatum de omni quas humaniores vocant Literarum artificio 8.

Dictionarium Magnum Latino-Gallicum ad pleniorem Scriptorum Latinorum intelligentiam in usum

ſum Sereniſſimi Delphini et Principum cura *Petri Danetii.* 4.

Chriſt. Gryphii Apparatus de Scriptoribus Hiſtoriam Seculi XVII. illuſtrantibus 8.

Pauli Hackenbergi Germania media. Guliel. Turckius recenſuit ac Diſſertationem de Geographia Germaniae medii aevi adjecit. 4.

Joan Hackmanni Practica Philoſophia, Ethica et Politica. 8.

Titi Livii Hiſtoriarum corpus concinnius. 8.

Jacobi Maſenii Palaeſtra ſtyli Romani, cum brevi Graecarum et Romanar. Antiquitatum Compendio, ſectis et Vita Philoſoph. etc. 8.

Commentationes quinque Rabbinorum Raſchi, etc. quibus Cap. XLIX. Geneſ. expoſuerunt, in ſermonem Latinum converſae ſtudio *Jo. Frederici Loſcani.* 4.

Jo. Andr. Danzii, Davidis in Ammonitas devictos mitigata Crudelitas. 4.

Thom. Goodwini Moſes et Aaron, ſeu Ritus Judaici illuſtrati, emendati, et aucti ſtudio *Jo. Henr. Hottingeri.* 8.

Hiſtoria veteris Teſtamenti uſque ad Jeſum Chriſtum, chronologice propoſita, cum diſcurſu de ſucceſſione Religionis ex Boſſueto, ſtudio Petri *Montmedy.* 8.

Joan. Guſtavi Reinbeck de Redemptione per Lytron tractatio. 8.

Sulpicii Severi Hiſtoria Sacra, obſervationibus Philologicis, ad modum *Jo. Minellii*, Illuſtrata, adjecta eſt vita Sulpicii. 12.

Supplementa Homiliarum *Joan. Chryſoſtomi*, ex Codicibus MSS. eruit latine vertit, & notis Illuſtravit *Ericus Benzelius.* 4.

N. Teſtamentum Graecum ad formam editionis *Leusdeni* additis Locis Parallelis, et variantibus Lectionibus ex XX. Codicibus ſelectis, cum nova praefatione *A Rechenbergii.* 24.

Mart. Wieland Schediaſma quo Judas Caenae Domini-

hicae conviva sistitur, cum decisione quaestionis an fas sit Christiano, cum iis quos indignos reputat Coenam Celebrare. 4.

Philip. Knipschildt, de Fidei commissis familiarum Nobilium. 4.

Luderus Mencke Regia via ad virtutem et Jurisprudentiam excolendam. 4.

Guliel. Rodingi Pandectae Juris Cameralis, ex ordinatione Camerae compositae. 4.

Martini Schraderi, de Causis fori Ecclesiastici tractatus. 4.

Christoph. Schreiteri Primae Lineae Juris civilis privati. 4.

Frid. Godl. Struvii Compendium Digestorum juxta seriem pandectarum accedit Memoriale legum antiquarum. 8.

Joan. Bohnii Circulus Anatomico Phisiologicus sive Oeconomia Corporis Animalis, accesserunt Dissertationes Physiologicae. 4.

Petri Linsing Tentamen et Examen Medicum Institutisticum adauctum et Illustratum a *Francisco Low*. 8.

Nicolai Stenonis Musculi Descriptio Geometrica cui accedunt canis Carchariae dissectum caput et dissectus Piscis ex canum genere. 8.

Gregor. Blech Graecae Grammaticae Synopsis, nova Observationum Philologicarum cognitione Illustrata. 8.

Jo. Henr. Boecleri Tractatus Posthumi nempe Historia a mundo condito ad nativitatem Christi, manuale politicum, Discursus ad Lipsii Politica, etc. 8.

Joan. Bunonis Universae Historiae cum Sacrae tum profanae Idea ad praesens usque tempus continuata. 12.

Praeter hos adhuc plures alii in Eadem Officina Extant, uti patet ex Catalogo Novorum Librorum, qui singulis mensibus continuatur, et in eadem Officina prostat.